Q. D. B. V.

DISSERTATIO JURIS PUBLICI,

DE

STATUUM IMPERII POTESTATE LEGISLATORIA CONTRA JUS COMMUNE,

QUAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

FRIDERICO WILHELMO,

REGNI BORUSSIACI HEREDE, &c. &c.

IN REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

DN. CHRISTIANO THOMASIO, JCto,

SACR. REG. MAJ. BORUSS. CONSIL. ET PROF. PUBL.

PUBLICE DEFENDET

SIGISMUNDUS JACOBUS HOLZSCHUHERUS,

de Neuenbürg.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AD DIEM XIV. APRIL. MDCCIII.

H. L. Q. C.

[7]

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

RECUSA LITERIS CHRISTOPHORI SALFELDII VIDUÆ, 1723.

Digitized by Google

Digitized by Google

B. C. D.

DISSERTATIO JURIS PUBLICI,

De

STATUUM IMPERII POTESTATE LEGISLATORIA CONTRA JUS COMMUNE.

§. I.

Status Imperii quid hic denotent.

PEr *Status Imperii* hic intelligimus Electores, Principes, Comites, Barones, & Civitates Imperiales, uno verbo, qui votum & ſeſſionem habent in Comitiis, quatenus videlicet hi omnes quidem intuitu immedietatis conveniunt cum Nobilitate Imperii immediata, in eo vero ab hac differunt, quod Nobilitas Imperii non habeat votum & ſeſſionem in Comitiis.

§. II.

Variorum opiniones de nota characteriſtica Statuum Imperii.

Quemadmodum vero ex inſtitutionibus juris publici notum eſt, a Nobilitate immediata olim non ſolum controverſum fuiſſe, annon & ipſi votum & ſeſſionem in Comitiis habere debeant, aut, ſi vel maxime ad votum & ſeſſionem in Comitiis non ſint admittendi, utrum neceſſarius Character Status Imperii ſit, ut votum & ſeſſionem habeant in Comitiis; ita etiam ſimul notum eſt, ipſos Scriptores Juris publici inſigniter variaſſe in

Digitized by Google

definiendis ſignis indubitatis, quæ Statum Imperii efficiant; aliis ad matriculam, aliis ad circulos, aliis ad onera Imperii confugientibus.

§. III.

Verius: Votum ac ſesſionem in Comitiis rem expedire.

Sed obtinuit tamen communiter, ut reliquis ſententiis exploſis, hodie a Scriptoribus Juris publici deliberatio in Comitiis de negotiis ad Imperium pertinentibus genuinus character agnoſcatur Status Imperii. Ne vero hæc ſententia pro mera petitione principii a diſſentientibus haberi poſſit, ſoliciti ſolent eſſe Doctores Juris publici, ut illam etiam demonſtrent. Cum autem omnis demonſtratio Juris partim expreſſis Legum verbis nitatur, partim ex ratione ducatur, ſolent communiter Scriptores Juris publici ad ſententiam ſuam firmandam provocare ad Leges Imperii. Sed cum Leges Imperii non uno modo ubique loquantur, ſed aliquando vocis *Status* laxior occurrat ſignificatio, præprimis, cum illi, qui ad formanda verba Legum Imperii adhibiti ſunt, diverſos ſæpe conceptus de terminis artis ſibi formaverint; facile patet, firmiſſimum argumentum in hac quæſtione peti poſſe a ratione; rationem vero quaſi a priori non meliorem afferri poſſe quam ſi deſumatur ex communibus regulis Rerumpublicarum & ab ipſo Imperii Germanici Statu.

§. IV.

Ratio a priori a communi rerumpublicarum natura.

Hic vero non difficile eſt comprehendere, quod in omnibus Rebuspublicis multi & infiniti ſint Status & characteres perſonarum, ſecundum quos illi, qui ſub aliquo Statu ſunt comprehenſi, pro diverſitate illius Status etiam diverſis & variantibus juribus utuntur, atque a communibus cum reliquis concivibus juribus peculiari aliquo jure vel exemtione, vel eminentia gaudent, ac ſimul etiam ſæpe peculiaria onera ferunt, qui ſinguli Status ſecundum methodum Juris Juſtinianei pertinent ad primum juris objectum, ibique explicari ſolent. Jam uti inter hos Status ordo eſt & præferentia; ita rurſus facile intelligitur, illum Statum in Republica quacunque reliquos omnes, (in Monarchia tamen poſt Principem,) præcedere,

Digitized by Google

cedere, qui in Comitiis de negotiis imperii ad dileberandum & ordinandam rempublicam adhibetur. Unde ſua ſponte fluit, quod quemadmodum reliqui Status in Republica vel Imperio ſunt, ſed non tractant negotia Imperii; ita poſteriores Status ad differentiam reliquorum commodiſſime appellari poſſint *Status* Reipublicæ vel *Imperii*, priores vero *Status in Imperio.* Vel etiam id exinde ſequitur, ut Status in Republica deliberantes tanquam analogatum Nobiliſſimum voce *Status* abſolute poſita intelligantur; reliqui vero cum additamento qualitatis ex qua ſtatum certum habere dicuntur, appellentur, v. g. *Status nobilitatis, ingenuitatis, patriæ poteſtatis* &c.

§. V.

Id autem difficilius eſt, quaſi a priori deducere, cur in Imperio Germanico præter Electores, Principes, Comites & Barones, (ut de quibus vel nullum vel exiguum eſſe poteſt dubium,) de negotiis Imperii deliberent non ſolum, ſed & ſtatuant Civitates, nobiles non deliberent; cum tamen communiter alias in Rebuspublicis nobiles præcedant homines civici & urbici ordinis; & in Germania ipſa extra comitia ordo nobilium multas prærogativas habeat præ Civibus, ſi non omnibus, ſaltem plerisque, etiam Civitatum multarum Imperialium. Quin imo in comitiis provincialibus Statuum Imperii haud dubie ordo Equeſtris & comparet & ordini civico præfertur. Cur non eadem eſſe deberet ratio in comitiis totius Imperii? Sane regimen ſpecialium Rerum publicarum in Imperio fere a modo regiminis communis deductus eſſe ſolet, eumque in plerisque imitatur. Hic fateor paucos me repeRiiſſe qui nodum hunc rite tangere, id eſt, cum ratione ſolvere tentaverint.

Difficilior ratio a priori, cur in Imperio Germanico Civitates in Comitiis comipareant, non vero Nobiles.

§. VI.

Solus, quos videre licuit, ILLUSTRIS COCCEJUS uti in plurimis Juris publici capitibus laudabili exemplo fere primus ſolet rem a prima origine & ſtatu ipſo Imperii deducere, ita & in quæſtione de charactere Statuum Imperii procedit, & poſtquam in præcedentibus capitibus origines ac

Sententia hac de re Illuſtris Cocceji.

 qua-

Digitized by Google

qualitates officiorum ac dignitatum in Imperio, pro more, id eſt, eruditiſſime deduxiſſet, tum *in cap. 19.* ubi de Statibus Imperii agere ij ſi animus eſt, ſtatim § *1.* tanquam Concluſionem ex dictis infert: *Hæc, officia, ait, & dignitates regni qui jure terrarum ſuarum gerunt, illi omnes & ſoli concurrunt in Comitiis & gubernatione Imperii, ideoque Imperii Status,* Reichs-Stände *dicuntur: Status ergo ſunt immediatæ civitatis Germanicæ membra, quorum terris cohæret officium regni cum regali dignitate; atque adeo Jus Comitiorum.*

§. VII.

Quæ plana eſt intuitu Nobilium.

Hæc ratio uti planiſſima eſt, cum quilibet capiat, convenientiſſimum eſſe, ut ii, qui officia Reipublicæ cum dignitate gerunt, & de regalibus regni ſint ſolliciti, etiam de negotiis Reipublicæ deliberent, reliqui vero qui vel dignitate pollent abſque dignitate ad deliberationes & deciſiones negotiorum Imperii regulariter non adhibeantur; ita ex ea modeſtiſſime ſatisfieri poteſt Scriptoribus, qui olim prætenderunt, etiam nobiles Imperii debere gaudere voto in Comitiis. Et ſatisfecit jam ipſe Vir Illuſtris *d. l. §. 14. Hinc excluduntur a numero Statuum VI. Nobiles immediati: qui nunquam Status Imperii fuere; cum non propter* officium regni, *ſed miniſterium & ipſi conſtituti & terra iis data ſint: idque & hodie conſtat, (quicquid diſſ. Dd. apud Carpz. de L. Reg. c. 3. ſect. 12. n. 30.) & olim ſecus fuiſſe nullibi apparet: etſi aliquando Leges & receſſus Imperii vel iis præſentibus, ut A. B. in præf. imo & conſultis, ut bulla Sigismundi apud. Gold. Conſt. tom. I. in ann. 1434. fol. 398. §. 2. & 4. (quæ non in comitiis ſed in actu Coronationis facta eſt) vel in eos, uti in alios ſubjectos, publicati ſint; Ref. Pol. Frid. III. 1442. quin etſi aliquando ad comitia quoque vocati eſſent. Diſſ. Carpz. d. Sect. 12. Nec obſtat* R. A. *1564. §. 6. ſed magis firmat quæ dicta ſunt.*

§. VIII.

Dubio obnoxia intuitu Civitatum.

Sed videtur tamen ea ratio ſimul obſtare Civitatibus imperialibus. Quia nec hæ officia regni olim ſuſtinuerunt, nec ad claſſem eorum qui cum dignitate regalium inveſtiti ſunt referri poterunt, quin potius evidens eſt, *populum* Germanicum,

cum, quatenus hic *proceribus* & *officialibus* Regni opponitur conſtare ex ordine Equeſtri & Civibus urbium. Sed quemadmodum non fuit animus Illuſtri Autori Civitates a Claſſe Statuum excludere & Comitiis, cum utrobique civitates Imperii expreſſe memoret; ita tamen dubium illud non nullius momenti tollendum eſt.

§. IX.

Deprehendo quidem in poſteriori editione *c. 19. §. 1.* mentem ejus paulo aliter explicari: *Hæc*, ait, *officia regni qui Jure terrarum ſuarum immediate gerunt, illi omnes & ſoli concurrunt in Comitiis & gubernatione Imperii, ideoque Imperii Status*, Reichs-Stände *dicuntur: Status ergo ſunt immediata Civitatis Germanicæ membra, quorum terris cohæret officium regni, eoque nomine Jus Comitiorum.* Vides hic omiſſam eſſe mentionem *dignitatum* item *regalis dignitatis*, quæ in propriori tanquam character ſecundus Status Imperii fuerat addita. Sed quam ob cauſam hæc correctio priorum facta ſit, pro certo dicere non poſſumus. Forte ipſi Dn. Autori dubium de Civitatibus Imperii in mentem venit, cui adeo omiſſione ſecundi requiſiti occurere voluiſſe videtur.

Ad id dubium prima reſponſio.

§. X.

Sed ita remanet alterum dubium: Atqui Civitates nec inter officiales referri potuerunt. Forte reſpondendum ex *cap. 20. §. 14. 15. Populum*, dicit, *in Comitiis repræſentant Comites, & civitatum Legati; Clerum Prælati minores: Diviſus enim fuit populus in Civitates & Pagos (ſeu diſtrictus) quibus Comites præerant d. cap. 15. & 22. Civitates itaque per Magiſtratus ſuos, reliquus populus per Comites, vel legatos utrorumque repræſentatus, in Comitiis comparuit. Principes igitur viritim, Comites & civitates, ut & Prælati, curiatim ſuffragia in Comitiis fuerunt.*

Novum dubium contra hanc reſponſionem.

§ XI.

Sed vereor, ne & ſic maneat dubium, an Magiſtratus Civitatum inter officiales regni referri poſſit? Unde alia via procedendum arbitror. Haud dubie ſcrupulus nullus remanſiſſet, ſi placuiſſet Viro illuſtri, uti reliqua a primis originibus expo-

Obſcura tractatio de antiquis Magiſtratibus populi Germanici.

Digitized by Google

expoſuit, ita etiam exponere originem & progreſſum Magiſtratuum populi. Sed juſtas habuit cauſas hæc omittendi? *Ceterum*, ait, *d. c. 20. §. 13. quinam olim Magiſtratus populum repræſentaverint, etſi demonſtrari poſſet, mutato tamen nunc ſtatu ob juſtas cauſas eo abſtinemus.*

§. XII.

Oſtenditur ſententiam Dn. Cocceji non obſtare Civitatibus.

Etſi vero & mihi juſtæ cauſæ ſint de Magiſtratibus olim populum repræſentantibus non diſtincte agendi, tentabo tamen exercitii gratia, utrum dubium §. 8. propoſitum tolli poſſit: Scilicet Comites haud dubie ad Status Imperii & comitia pertinent, ſunt enim & officiales regni, & dignitate regali pollentes, i. e. cum regalibus inveſtiti. Sed vero & olim Civitates Imperii habebant ſuos comites dignitate regali pollentes, qui adeo olim etiam in Comitiis Civitates repræſentabant, ac poſtea cum eſſe deſierint, Senatus Civitatum vel etiam Civitates ipſæ in eorum locum ſucceſſerunt. Unde puto poſſe retineri verba prioris editionis allata §. 6.

§. XIII.

Advocatos Urbium antiquitus eorum nomine in Comitiis comparuiſſe, & ad Comitum Claſſem pertinuiſſe.

Res ipſa prolixiorem deductionem jam non patitur. Ergo pauciſſimis Comites initio quidem pagis præficiebantur denen Gowen, unde Gegraff. Pagi poſtea cum provinciarum nomine venirent, dicti fuerunt Comites provinciales, Land-Graffen, qui ſub ſe habuerunt ſuos vicarios, Cent-Graffen &c. In Civitates mittebantur Advocati, Reichs-Vögte, quod idem eſt ac ſi dicas Comites urbium. Uti enim qui Comites provinciales Land-Graffen communiter dicebantur in quibusdam terris vocabantur Advocati provinciarum Land-Vögte; ita & Advocati urbium revera fuerunt Stadt-Graffen. Dignitatem eorum quod attinet, cum dati fuerint ad tuendam ſuperioritatem & regalia Imperatorum in Civitatibus, nullum eſt dubium, quin & de eo officio cum regalibus nonnullis, vel ſaltem de regali jurisdictionis fuerint inveſti. Quin & ſuos ſub officiales in urbibus uti Comites provinciales in pagis habuerunt; Reichs-Vögte und Reichs-Schultheiſſen. Quæ omnia ſingularem requirunt diſpectionem. Vide interim collecta.

Digitized by Google

lectanea quædam huc pertinentia, ſed cum judicio ſecernenda, apud MYLERUM AB EHRENBACH *Archontologia c. 21. & 22.* Confer de dignitate regali DN. COCCEJUM *c. 21. §. 9.*

§. XIV.

Dicenda non reſpicere jura Nobilitatis immediatæ in condendis ſtatutis.

Cum igitur animus ſit de Statuum Imperii poteſtate Legiſlatoria quædam differere, ex dictis ſua ſponte fluit, quod jam non ſimus ſolliciti de Juribus Nobilitatis immediatæ. Unde ſi forte dicenda non omnia ad eam applicari poſſint, nos non attinet. Neque vero etiam iis denegamus poteſtatem Leges ac ſtatuta condendi, aut aliis Juribus iisdem hoc intuitu competentibus quicquam derogatum volumus. Sed ſaltem de quæſtionibus eo pertinentibus lubenter abſtinemus, tanquam de rebus a noſtra intentione alienis.

§. XV.

Poteſtas Legiſlatoria Statuum, intuitu Legum Univerſalium.

Non tamen alienum erit a ſcopo noſtro breviter diſpicere: Utrum Status Imperii habeant poteſtatem Legiſlatoriam, & unde eandem acceperint. Ubi ante omnia diſtinguenda eſt poteſtas condendi Leges in toto Imperio valituras a Legibus particularibus territoria ſingulorum Statuum reſpicientibus. Priores quod attinet, uti diximus, Status Imperii eos eſſe in Germania, qui cum Rege de negotiis Imperii deliberent, ita nullum eſt dubium, quin ad Status pertineat vel maxime conſultatio de Legibus ferendis, cum regale Legum condendarum ſit inter regalia valde præcipuum. Etſi vero in regno Germanico perpetuo fere plus valuerint mores quam Leges ſcriptæ, & adhuc hodie plus valeant; *(vide DN. PRÆSIDIS Diſſert. de Colliſione morum cum Jure ſcripto.)* Quoties tamen vel conſuetudines in ſcripturam redigendæ fuerunt, vel novæ etiam Leges per ſcripturam condendæ, toties Status Imperii fuere adhibiti. De Caroli M. temporibus ANNALES FRANÇORUM (a PETRO LAMBECIO *L. 2. Biblioth. Cæſar. c. 5.* publicati) *ad A. 802. Imperator* (Carolus) *congregavit Duces, Comites & reliquos Chri-*

ſtianos populos cum Legislatoribus, & fecit omnes Leges in regno ſuo legi, & tradi unicuique hominum Legem ſuam, & emendare ubicunque neceſſum fuit, & emendatam Legem ſcribere & ut judices per ſcriptum judicaſſent. ILLUSTR. DN. HERTIUS *Tom. II. Opuſc. p. 419.* Hodie ea de re nullum eſt dubium poſt *§. gaudeant. in verbis: præſertim ubi leges ferendæ vel interpretandæ Art. 8. Pacis Oſnabr.* Plura de ipſis legibus Germanorum vide poſt tractatum CONRINGII *de Origine Juris Germanici* apud HACHENBERGUM *Med. German. Diſſertat. 3.* DN. HERTIUM *d. l. p. 418. ſeq. §. 12. ſeq.* DN. COCCEJUM *Jurispr. Publ. c. 23. §. 5. 6. 7.* MONZAMB. *c. 5. §. 13. & ibi in notis* DN. PRÆSIDIS.

§. XVI.

De poteſtate condendi Leges particulares dubium generale.

Sed de poteſtate Legislatoria intuitu Statutorum particularium in territoriis propriis Statuum major eſt difficultas inquirendi in hujus originem. Sane enim neque officiorum geſtio cum dignitate, etiam regali, neque inde profluens facultas deliberandi in comitiis involvit poteſtatem Leges particulares faciendi, quin imo videtur poteſtati communi repugnare. Potiſſimum regale Reipublicæ cujusvis eſt poteſtas legislatoria. Si cuilibet Statui pro lubitu licet in ſuis territoriis leges ferre, quid opus eſt, ut in regni comitiis communi conſenſu eæ ferantur. Si vero in Comitiis univerſo regno de Legibus proſpicitur, quid opus fuit ſingulis Statibus dare poteſtatem condendi Leges particulares?

§. XVII.

An Status poſſint Leges proprie dictas jure condere? ſententia Ziegleri.

Unde dubitare Jure merito poſſis: An Status Imperii ſinguli *de Jure* Leges proprie dictas condant? Tractavit jam olim hanc quæſtionem acutiſſimus JCtus CASPARUS ZIEGLERUS *de Jure Majeſt. Lib. 1. c. 5. §. 19. De Statutis*, inquit, *quæ diximus* (dixerat autem, Statuta Civitatum municipalium non eſſe Leges veras.) *ad Principum Germaniæ ſanctiones non licet extendere. Etſi enim ſuperiorem illi agnoſcant Cæſarem, quem venerantur & obſervant, tali tamen quisque in*

ſua

ſua provincia, inſtructi ſunt poteſtate, ut juſſiones ipſorum revera ſint & dicantur Leges. Video dubitare Doctores, an dependens ſit ea poteſtas an minus? Sed qui dubitari poterit, cum ipſa tota poteſtas territorialis, cujus pars eſt Legiſlatoria, tribuatur ab Imperatore? Quicquid enim ſanciunt & edicunt, id edicunt, quia ſunt Duces, Marchiones, Comites; At dignitates has una cum territorio & territoriali poteſtate annexa, accipiunt in feudum a Caſare. Dependentem igitur hactenus habent legis ferendæ poteſtatem. Sed eſt ea tamen viciſſim tam libera, ut conſtitutiones ab unoquoque in ſuo territorio latæ, nec confirmatione opus habeant, nec ab Imperatore reſcindi poſſint. Sed neſcio an hic diſcurſus dubium omne ſublaturus ſit, annon magis aucturus. Sunt enim inibi contenta, quæ modo ſuadent, poteſtatem hanc legiſlatoriam Statuum eſſe dependentem, modo, eſſe independentem.

§. XIIX.

Unde mallem textum juris publici afferri pro hac poteſtate. Videamus SCHWEDERUM *juris publ. part. ſpec. ſect. 2. c. 13. Juſtitiæ dandum*, dicit, *quod poſſit territorii Dominus ferre leges & ſtatuta*, (Land-Rechte und Landes-Ordnungen machen) *quæ non tantum ſubditos, alioſve forenſes in territorio commorantes, ad ſui obligent obſervantiam, ſed a Cameræ imperiali quoque in cauſarum inter provinciales controverſarum, ex ipſorum territoriis ad illam devolutarum deciſione, modo rite facta ſit inſinuatio, attendi debeant, utut etiam juri communi contrarientur, & deſit ſpecialis imperatoris confirmatio, hac enim adeſſe, & validitatem ejusmodi Statutorum non requiritur, quamvis ad præcidendas controverſias, & ad bene eſſe utilis ſit.* O. C. p. 1. t. 13. §. *1. & t. 57.* Sed præterquam quod poteſtas juſtitiam adminiſtrandi non involvat poteſtatem Leges condendi; videamus jam quid ex allegato loco legum publicarum probetur. *Schwederi.*

§. XIX.

Sane ſi eum accuratius inſpicias, videbis non expreſſe aſſeri: Statibus poteſtatem Leges proprie dictas ferendi competere; quin imo expreſſe Statutis municipalibus Leges *Vitriarii.*

ejuſmodi comparari, quæ tamen comparare iis nolebat Zieglerus, unde & nonnulli ex antiquis ſcriptoribus Juris publici quicquid hac parte juris Statibus competit ex juribus municipalibus derivare voluerunt. Placet rem verbis *VLTRIARII* exponere *lib. 3. jur. publ. tit. 17. §. 3. & 4. Propter Imperium in caput ſubditorum, Status Imperii habent Legum provincialium ac Statutorum condendi poteſtatem*, Lands-Recht und Lands-Ordnung zu machen. Ord. Cam. part. 1. tit. 57. *Ubi Aſſeſſores Cameræ jurant:* Nach des Reichs gemeinen Rechten Abſchied, aufgerichteten Frieden in Religions- und andern Sachen, auch Handhabung des Friedens, und nach redlichen, erbaren und Ländiſchen Ordnungen, Statuten und Gewohnheiten der Fürſtenthümer, Herrſchafften und Gerichte, die vor ſie bracht werden, den hohen und niedern nach ihrem beſten Verſtändniß zu richten. *Quidam hoc jus vocant jus municipale, argumento L. 2. C. de off. præf. præt. L. 3. §. 4. ff. quod vi aut clam. Quamvis autem forte non incongrue dicantur hæc Statuta jus municipale, argumento dictorum textuum; tamen putamus, hoc jus condendi ſtatuta, non eſſe derivandum ex antiquo more municipiorum, ut quidam faciunt & propterea Civitatibus Imperii illud tribuunt, argum. L. Antiochenſium 37. ff. de reb. aut. judic. poſſid.*

§. XX.

Hertii. Imo olim Leges Principum æque ut Statuta municipalia fuiſſe confirmata ab Imperatoribus docet *ILLUSTRIS HERTIUS de ſuperiorit. Territ.* §. 25. cujus locum integrum dabimus ut appareat, an forte hic genuinum fundamentum poteſtatis legislatoriæ poſſimus invenire. *Legislatoriam* ait *poteſtatem apud ſpeciales Germ. Reſpubl. reſidere, neminem dubitare ſinunt, quæ paſſim typis publicatæ extant conſtitutiones, & vocantur provinciales. Eas otioſe & parum decore edictis prætorum aſſimilant multi. Sed & Reinkingius manifeſto errat, quando Imperatorem pro Majeſtate ſua illis derogare poſſe affirmat. v. Cap. Car. V. art. 4. & reliquas usque ad Leopoldum. Et licet olim ad Adolphi Imper. usque tempora confirmatione aut ſpeciali privilegio opus habuerint, uti probat Beſoldus; recentioribus quoque temporibus ali-*

qui

qui Regionum Domini confirmationem Cæſaream ordinationibus ſuis præmiſiſſe conſpicitur. Exemplo ſint Ducum Brunſvicenſium ordinatio judiciaria, præfixam habens Ferdinandi I. Imp. confirmationem & Electoris Moguntini ordinatio judicialis, cujus ſingulas Juris Juſtinianei correctiones nominatim comprobavit Carolus V. Hodie tamen ea minime egere, conſtans eſt Dd. traditio. Vides hic ad opinionem conſtantem Dd. provocari & ad ipſas Conſtitutiones provinciales? Sed hæc magis facti ſunt, quam Juris; Neque enim perſuaderi nobis patimur, conſtantem opinionem Dd. ſtatim jus facere, ut qui novimus, dari etiam errores communes & conſtantes, & falſum eſſe axioma, errorem jus facere.

§. XXI.

Quid ergo dicemus? Si nullum jus habent Status condendi Leges proprie dictas, fruſtra eſt tota diſputatio noſtra. Si habent jus, fons ejus oſtendendus eſt ex Legibus Imperii. Imo vero, inquam; jura in Germania, non ſaltem ex legibus deducuntur ſed ex moribus & diu continuato uſu, qui quamvis initio plus de facto participet, quam de jure, lapſu tamen temporis & ex patientia eorum, quorum intererat rem non pati, ex facto jus fieri ſolet. Ergo ſufficit, quod ex longo uſu poteſtatem acquiſiverint Status Imperii Leges etiam abſque ſpeciali Imperatoris conceſſione in Imperio condendi.

Habere Status poteſtatem legislatoriam ex uſu longævo.

§. XXII.

Scio equidem, communiter a Scriptoribus doceri: Status habere jus condendi leges *jure ſuperioritatis territorialis,* utpote quæ ſit complexus omnium regalium, & adeo vel maxime poteſtatis legislatoriæ. Sed nihil muto. Neque enim hæc doctrina quoad rem a noſtra aſſertione abit. Quodſi enim ulterius ex iis quæras: At ſuperioritas hæc territorialis unde? Non poterunt aliter reſpondere de hoc complexu regalium, quam quod nos in ſpecie de poteſtate legislatoria diximus. Eſſe eam ab uſu longævo, neque ſimul intuitu omnium regalium, ſed pedetentim introductam.

Sive, quod idem eſt jure ſuperioritatis territorialis, ſuperioritas omnis ex uſu.

Rem ab ovo deducere non eſt hujus loci. Sufficiant jam ſaltem duo loca ex Duumviris hactenus ſæpius laudatis afferre; cum neminem iis diſtinctius id feciſſe recorder.

§. XXIII.

Loca eam in rem Cocceji.

Unus ex *DN. COCCEJI prud. Jur. publ. c. 13. & 43. Senſim & variis gradibus omnia territorii jura & quam nunc habent poteſtatem nacti ſunt*, (Status.) *Sub Carolingis enim omnis Procerum poteſtas fuit mere adminiſtratoria: quæ ad id faſtigii, in quo nunc eſt, his gradibus pervenit. I. Extinctis Carolingis, cum videretur reddita poteſtas, quam ſinguli populi & provinciæ ante Francorum victorias regiam habuerant, (§. 18.) placuit, ut ſinguli populi ac provinciæ ſub ducibus ſuis, ſalva Majeſtate Regis & regni, haberent propriam poteſtatem & jura regalia, ut ex hiſtoria cap. 3. apparuit. Sed & tranſiit plerumque Ducalis hæc poteſtas ad filios & fratres, nec temere excluſi fuere. II. Diviſis deinde provinciis, omnes Principes propriam poteſtatem nacti ſunt; non vero Comites, etſi omnes juriſdictionis fructus & hi ſenſim ſibi vendicaverint & ita in rem ſuam ea uſi fuerint. III. Etſi his officiis Rex quædam ex juribus ſuis, præſertim quæ ad uſus privatos magis pertinent, & deinde regalium quoque nomine venerunt v. g. venationes &c. conceſſerit, tamen ea jura, quæ Regi ad uſus publicos nomine jurium regalium competunt, non ſtatim ſed pedetentim acquiſiverunt; Principes exemplo Ducum, & Epiſcopi, qui in ordine Principum jam erant, maturius quidem, at Comites tardius. IV. Denique perpetua quoque & hereditaria poteſtas facta fuit. Initio enim revocari potuiſſe feuda patet ex 1. F. 1. §. 1. ſeqq. Sed & P. Æmil. de Geſt. Franc. lib. 1. in Reg. 9. fol. 21. inquit:* Duces initio Comitesque a Regibus præficiebantur gentibus Civitatibusque, ac cum videretur, dimittebantur; deinde inveteravit Conſuetudo, ut niſi ſceleris convicti imperio abire non cogerentur, idque poſtremo, ut quisque eo munere donabatur, jure; Regum cavebatur. *Hinc Exducum, Excomitum &c. meminit Greg. Turon. paſſ. Quando vero cœperint eſſe hereditaria dubitat. Conring. Exerc. Acad. 4. §. 24. Verum & illud ſenſim, & maxime per interregnum contingit; Etſi enim antea quoque in familia hæſerint,*

nec

nec facile liberi idonei præteriti fuerint, nondum tamen inde inferri poteſt verum & plenum jus hereditarium, ut oſtenſum eſt cap. 7. §. propen. & ult. Quin nondum ſub Friderico II. valuit plenaria ſucceſſio in feudis Italiæ. 1. F. 1. §. 4. & 1. F. 8. §. 1. & F. 14. pr. nedum in officiis Germaniæ. Interregni autem licentia perpetuata fere ſunt omnium jura, non tantum Principum, ſed & Baronum, qui jurisdictionis ſuæ fructibus regalia ſenſim adjecere, &, ut dictum, non quidem poteſtate propria, at in rem ſuam ea exercuere, atque ita omnes Status plenam territorii ſui ſuperioritatem conſecuti ſunt. Confer *EIUND. cap. 9. §. penult. in fine.*

§. XXIV.

Alter ex *DN. HERTII* diſſertatione *de ſuperioritate territoriali §. 5. Ad originem pertinet quod non nemo ſcribit apud Limneum* die Landes-Fürſtliche Obrigkeit iſt vor Alters im Reich ein gantz unbekandt Ding geweſen, und iſt erſt ein neuer *fœtus noſtri ſeculi. Specialius deſignat tempus D. Schilterus: Ait enim, ex Ruperti Palatini Imperat. regeſtis Imperialibus ſe compertum habere, ſub ejus imperio nondum in Germania hoc jus ſuperioritatis fuiſſe introductum, ſed majora regalia, imo banni conceſſionem adhuc a ſpeciali Imperatorum conceſſione dependiſſe. Igitur neceſſe eſſe, ut demum ſub Auſtriacis ex Germania in Italiam pervenerit a Friderico III. inde uſque. Etſi enim & antea dudum Principes tam Eccleſiaſtici quam politici de Regalibus fuerint inveſtiti, tamen tantum de certis & definitis, non de univerſis juribus alicujus ſuperioritatis id factum eſſe. Altius originem repetit Benjamin Leuberus ab Imperio Rudolphi id nomen primi: hunc enim, ut animos Procerum ſibi conciliaret, iis non tantum regalia, quæ jam ex Saxonicorum & Svevicorum impp. conceſſu habebant, ſed & tempore Interregni occupata confirmaſſe, & propterea ingentem a literis inveſtiturarum, antecedentium tempus illud, differentiam deprehendi. Alii jam ad Ottones aut Carolum M. imo anteriora tempora reſpiciunt. Nos, ut ſenſim per ſtamenta temporum ſuperioritatem hanc proceſſiſſe omnino perſuaſi ſumus, ita non dubitamus aſſerere, alios citius, alios ſerius ad eam perveniſſe; Citius profanos Principes, quippe Jure hereditario nixos; ſerius Eccleſiaſticos: complemen-* Et Hertii.

mentum autem tum acceſſiſſe, cum Advocati provinciales aut urbici conſtitui ab Imperatoribus deſierunt, id quod, illos quod attinet, circa ſeculi quarti decimi initia factum. De cauſis & occaſionibus egi partite & prolixe libello de origine & incrementis ſpecialium Germ. Rerump.

§. XXV.

Etiam Civitates liberas Imperii habere poteſtatem Legiſlatoriam.

Ex hoc ultimo loco vides, etiam *urbium Imperialium* ſuperioritatem ex eodem fundamento deduci; nec diſſentit DN. COCCEJUS, etſi in loco §. *23.* deſcripto harum expreſſe non meminerit. Uti enim diſerte Civitatibus ob Conſtitutionem Pacis Oſnabrugenſis ſuperioritatem tribuit *c. 21. §. 14.* Ita quoque ſatis dilucide ibidem §. *15.* *Principibus illa* (ſcilicet quoad primam originem) *competit Jure feudi & vi officii principalis* des Fürſten-Amts, *cæteris* (Comitibus, Baronibus, Urbibus, tam quoad originem, quam quoad incrementum, & imo etiam Principibus quoad augmenta *per dicta hic §. 23.*) *uſu & præſcriptione.* Quare etiam poteſtatem legislatoriam competere urbibus Imperii liberis & immediatis nullum eſt dubium. *vid.* MYLER AB EHRENBACH *de Statib. Imp. P. 2. cap. 39. §. 2.*

§. XXVI.

De Statuum poteſtate Legiſlatoria contra jus commune variorum ſententia.

Sed poteſtatem leges ferendi valituras in territoriis, Statibus nemo negavit: id ſaltem dubium eſt: an poſſint Leges condere contra Jus commune. Hic vero tot fere ſunt ſententiæ quot Doctores, ut tædioſum ſit, eas ſingulas ac ſingularum variationes recenſere, quibusdam quæſtionem negantibus, quibusdam eam ſimpliciter affirmantibus; aliis vero diſtinctim procedentibus, & quidem variis diſtinctionum generibus & modis easdem applicandi utentibus. Cum ergo hic primarius ſit ſcopus diſſertationis noſtræ, & hic non tam videndum ſit, quid alii dicant, quam quid veritati ſit conveniens, ſtatim ſententiam noſtram ea de re aperiemus. Non poterimus autem & nos eam ſine diſtinctione proferre, cum Jus commune multis modis accipiatur, adeoque & hæc vox ante omnia ſit liberanda ab æquivocatione.

§. XXVII.

Digitized by Google

§. XXVII.

Igitur per Jus commune vel denotatur ejusmodi Jus, quod quoad omnes ſuas partes & omnia in eo contenta, eſt omnibus una in Republ. viventibus commune, ita ut Jus particulare in hoc vel illo loco obtinens illi non deroget, ſed aliquid in ſpecie ſuperaddat. Vel denotatur ejusmodi Jus, quod veluti regula in Republ. ubi præter id Jura particularia difformia vigent, uſu eſt receptum, & quod obſervatur apud omnes iis caſibus, quibus ab illo ſpeciales mores aut Statuta non recedunt. B. STRUVIUS *Synt. Jur. Feudalis c. 1. §. 13. n. 2.* Priori ſenſu ſolum Jus naturæ commune eſt, tanquam divinum quod & ſummas poteſtates obligat, unde & Jus gentium dicitur, quaſi quo Jure, ut ex Inſtitutionibus tyrones diſcunt, omnes gentes utantur. Poſterius iterum eſt duplex. *Jus commune vel immutabile vel mutabile.*

§. XXVIII.

Aut enim Jus commune dicitur, quod in Republica obtinet inſtar regulæ, quæ exceptionem pati poſſit, ad quod tamen in quæſtionibus Juris primo loco recurrere debeamus; aut etiam dicitur Jus commune, quod deficientibus aliis Juribus communiter conſuli debet, tanquam Jus commune ſubſidiarium, quod non locum regulæ obtinet, ſed vel locum exceptionis a regula implet, vel certe regula imperfectior, uti fere ſunt ea, quæ in ſubſidium genuinarum regularum adhiberi ſolent, dici meretur. Tale Jus commune poſterioris claſſis in Imperio noſtro eſt Jus Juſtinianeum, item Jus Feudale Longobardicum & Jus Canonicum &c. *Conf.* ILLUSTREM STRYCKIUM *Diſſert. proœm. ad Uſ. Modern. Pandect. §. 28.* *Hoc vel regulare, vel ſubſidiarium.*

§. XXIX.

Denique jus commune, quod in Germania regulæ inſtar eſt, eſt vel jus commune Imperii, quo pertinent Aurea Bulla, Receſſus Imperii, Capitulationes Imperatoriæ, ac Inſtrumentum Pacis Oſnabrugenſe; vel eſt jus commune provinciale, ſive hoc ſit ſcriptum, ſive jus conſuetudinarium. Etſi enim hoc poſterius intuitu juris Imperii ſit magis jus par- *Regulare vel magis vel minus commune.*

 ticu-

Digitized by Google

ticulare, intuitu tamen ſtatutorum magis particularium v. g. municipalium aut etiam diverſarum diœceſium ſub una provincia comprehenſarum, induit naturam Juris communis.

§. XXX.

Ordo dicendorum.

Igitur neceſſe eſt, ut de quatuor quæſtionibus diſtincte videamus: An nimirum Status Imperii poſſint leges ferre (1) contra Jus Naturæ & Gentium? (2) an contra Receſſus & alia Jura Imperii? (3) an contra Jura provincialia? (4) an contra Jus Romanum, Longobardicum & Canonicum? Ubi ante omnia hæc tria Jura humaniter exoranda ſunt, ne graviter ferant, quod in ultimum locum ſint reſervata, tanquam videlicet, ut dictum, Jura ſubſidiaria.

§. XXXI.

I. De Legibus Statuum contra Jus Naturæ. Ambiguitas Juris Naturæ.

Equidem quod (1) Jus Naturæ attinet, videtur prima fronte quæſtio Domitiana eſſe, ſi quis dubium proponat: An Status Imperii poſſint contra jus Gentium legem ferre? Quippe cum jam ſupra §. 27. ex Struvio adductum fuerit, jus naturæ eſſe jus commune immutabile, & in eo conſentiant Politici Chriſtiani, Principes & Reges omnes, etiam abſolutiſſimos, tamen ſubjacere Legibus Naturæ & Gentium, tanquam divinis univerſalibus, adeoque iisdem nequaquam ſolutos eſſe. Sed ſalva res eſt, ſi modo jus naturæ ſtricte dictum, quatenus verſatur circa bonum & malum eminens, illud abſolute præcipiendo, hoc abſolute vetando, ſecernas a jure naturæ laxius dicto, quod verſatur circa bona & mala media, quæ pro diverſitate circumſtantiarum, & quatenus referuntur ad mala & bona majora vel minora, modo induunt naturam boni, modo mali, etſi utrobique ex ratione humano generi communi i. e. absque ſpeciali revelatione moralitas illa varians cognoſci poſſit. Quodſi duobus verbis diſtinctionem hanc habere velis, diſtingue inter principia juſti & decori.

§. XXXII.

§. XXXII.

Contra principia Juſti Status Leges ferre nec poſſunt nec volunt.

Jus naturæ ſtricte dictum, i. e. quoad principia juſti, eſt immutabile, nec ulla gens reperietur, quæ legibus aut moribus aliquid eidem contrarium publice receperit, e. g. interfectio hominum innocentum ad libidinem aliorum hominum, furta, rapinæ, injuriæ, violatio pactorum, cum communis omnium ratio dictitet, talibus criminibus admiſſis non poſſe conſiſtere civitatem. Et hoc intuitu etiam ſtultum eſſet quærere: an Status Imperii poſſint Leges contra jus Naturæ ferre, quia ſtultum eſſet præſumere, quod unquam Status Imperii voluerint, vel impoſterum velint, tale quid in Republica ſua introducere.

§. XXXIII.

Sed principia Decori variant apud Gentes.

At jus Naturæ laxius dictum, principia decori comprehendens, variat inter Gentes ob variantes circumſtantias, & quod uni Genti *decorum* eſt, apud aliam pro *non decoro*, rurſus apud aliam *indecorum* habetur. Digniſſima eſt eam in rem *præfatio Æmilii Probi vitis Excellentium Imperatorum præmiſſa*, quæ tota huc apponatur. *Non dubito fore plerosque, qui hoc genus ſcripturæ leve, & non ſatis dignum ſummorum Virorum perſonis judicent, cum relatum legent, quis* Muſicam *docuerit Epaminondam; aut in ejus* Virtutibus *commemorari*, ſaltaſſe *eum commode, ſcienterque tibiis cantaſſe. Sed hi erunt fere*, qui expertes litterarum *Græcarum*, nihil rectum, niſi quod ipſorum moribus conveniat, putabunt. *Hi, ſi didicerint*, non eadem omnibus eſſe honeſta atque turpia, ſed omnia majorum inſtitutis judicari: *non admirabuntur, nos in Grajorum virtutibus exponendis mores eorum ſecutos. Neque enim Cimoni fuit turpe, Athenienſium ſummo Viro*, ſororem germanam habere in matrimonio: *quippe cum ejus Cives eodem uterentur inſtituto. At id quidem* noſtris moribus nefas *habetur. Laudi in Græcia ducitur adoleſcentulis, quam plurimos habere amatores. Nulla Lacedæmoni tam eſt nobilis vidua, quæ non ad* ſcenam eat mercede conducta. *Magnis in laudibus tota fuit Græcia, victorem Olympiæ citari. In ſcenam vero prodire, & populo eſſe*

ſpectaculo, nemini in eiſdem gentibus fuit turpitudini, quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia, atque ab honeſtate remota, *ponuntur. Contra ea pleraque noſtris moribus ſunt decora, quæ apud illos turpia putantur, quem enim Romanorum pudet* uxorem ducere in Convivium? *aut cujus materfamilias* non primum locum tenet ædium, atque in celebritate verſatur? *quod multo fit aliter in Græcia, nam neque in convivium adhibetur, niſi propinquorum: neque ſedet niſi in interiore parte ædium, quæ gynæconitis appellatur, quo nemo accedit, niſi propinqua cognatione conjunctus.*

§. XXXIV.

Applicatio præfationis Cornelianæ ad tempora noſtra.

Hic vero rogo, ne vitio nobis vertas, quod totam hanc præfationem vel omnibus pueris notam hic exſcripſerimus. Multa nobis proponuntur in pueritia & tenera ætate, quæ adultiores facti tanquam res leviores contemnimus, & tamen ſi ea in adultiore ætate diligentiùs expendamus, ſæpe deprehendimus, quod eorum pauciſſima vel plane nihil intellexerimus. Expende verba Probi vel, ſi mavis, Nepotis, & cogita noſtra tempora, ac ſenties, eadem & nobis dicta eſſe. Annon & hodie ſunt, qui *indignum* honeſtorum *Virorum perſonis*, judicant, tantum abeſt, ut *inter Virtutes commemorari* ſint paſſuri, *ſaltaſſe* aliquem *commode, ſcienterque tibiis cantaſſe?* Annon ſunt, qui *expertes* bonarum literarum & genuinæ eruditionis, *nihil rectum putant, niſi quod ipſorum moribus conveniat?* Annon ſunt, qui *diſcere* nolunt; *non eadem omnibus eſſe honeſta vel turpia;* ſed pleraque *majorum inſtitutis judicari.* Annon noſtro ſeculo acriter de *inceſtu linea collateralis* diſputatum fuit in utramque partem, utrum ad injuſtum univerſale, an ſaltem ad indecorum pertineat? Annon de moralitate & turpitudine *Scenicorum* & *ſcenas frequentantium* hodienum eruditorum, vel qui eruditi eſſe cupiunt, ſcripta in utramque partem differunt? Annon multi ea, *quæ apud nos partim infamia, partim humilia atque ab honeſtate remota ponuntur,* ubique pro talibus habenda eſſe, & ne Principum quidem ſummorum, ſed ſuo ſaltem arbitrio ſubeſſe clamant?

§. XXXV.

Digitized by Google

§. XXXV.

Intereſſe Reipublicæ, quoad propoſitionem hujus doctrinæ.

Uti autem nolumus in originem hujus erroris nunc inquirere, quænam videlicet ſit cauſa, cur nihil a quibusdam putetur eſſe rectum, niſi quod ipſorum moribus conveniat; Ita ſufficit, quod per hactenus dicta oſtenderimus, quæſtionem de poteſtate Statuum Legislatoria contra jus Naturæ non eſſe otioſam. Scilicet, etſi communiter dicatur indiſtincte, Principem nihil poſſe contra Jus Naturæ, nos tamen in ea opinione ſumus, Principes multa poſſe contra jus naturæ cerebrinum, in auctoritatibus ſaltem Doctorum aut moribus quorundam populorum fundatum, non vero in communibus Juſtitiæ regulis. Etenim Princeps, uti omnis decori & omnium morum in Republica autor & director eſt; Ita maxime intereſt Principum, hanc aſſertionem diligenter ſtudioſæ juventuti inculcare, quia contraria doctrina, quod Princeps cum Conſilio ſuo in Republica non habeat judicium de juſto & honeſto in genere, ſed quod quædam claſſes juſti & honeſti ſint, in quo Princeps & ejus Miniſtri dependeant ab opinione & decreto alterius collegii, ſive in eadem Republica ſive extra eandem; hæc doctrina, inquam, eſt primarium fundamentum Papatus & myſticæ captivitatis Babylonicæ, ex qua per Dei gratiam majores noſtri opera primorum reformatorum exierunt.

§. XXXVI.

Falſa doctrina JCtorum de rationabilitatis requiſito Legum.

Sed talia quidem non proponenda ſaltem ſunt generaliter, quaſi quæ ad JCtos nihil vel parum pertineant; ſed & in ſpecie illi, qui Jurisprudentiæ dant operam, debent operam dare ſedulo, circumſpicere, annon & in ſuo corpore juris & gloſſis juridicis lateant floſculi incaute ex horto Papiſtico relicti? Talem vero eſſe putamus, cum communiter inter requiſita conſuetudinis & Legis poni ſolet, quod debeat eſſe rationalis, & quod conſvetudo & lex irrationalis non obligent. Bene ſe habet: Legislatores debent in Legibꝰ ferendis dictamen rectæ rationis adhibere. Leges ſi latæ ſunt, Conſiliarii & Doctores publici, ſi quid ipſis appareat in Legibus non bene con-

Digitized by Google

venire cum ratione, id modeſte & debito modo absque proſtitutione Legislatoris monere poſſunt. At ſi hæc monita a Principe & ejus conſilio non attendantur, & ab ejus obligatione ſub prætextu, quod Lex ſit irrationalis, ſe eximere velint ii, quibus tamen parenti gloria eſt relicta, ea vero id doctrina omnem omnis reipublicæ nexum ac quietem turbat. Neque putandum eſt, ipſos Conſiliarios Principis aut Doctores publicos hic quid præcipui habere, namque ſunt quidem illi præcipui, ſed ex ſubditis Magiſtratus politici, qui præcipue exemplo ſuo aliis inferioribus in obedientia Legum præire debent. Peccatum & turpitudo eſt, quicquid eſt contra Leges. Lex ergo norma turpitudinis eſt & honeſtatis. Non igitur opinio ſubditi de turpitudine & honeſtate norma Legis. Secundum rationem bene vivendi vivit, qui ſecundum legem vivit. Igitur ridiculum eſt, ideo non velle ſubditum vivere ſecundum Legem, quod Lex cum ſubditi ratione non quadret.

§. XXXVII.

Lex Ulpianea ſententiam noſtram probat.

Uti igitur recte docuit *Ulpianus L. 6. pr. de Juſt. & Jure: Jus Civile eſt, quod neque in totum a naturali, vel gentium recedit, nec per omnia ei ſervit. Itaque cum aliquid addimus, vel detrahimus juri communi, Jus proprium, id eſt civile, efficimus.* Ita & recte nos ſtatuimus; Lex Statuum Imperii eſt, quæ neque in totum a naturali vel gentium recedit, nec per omnia ei ſervit; ſed modo aliquid addit, modo etiam pro variatione Circumſtantiarum aliquid detrahit. Nec

Neque ei obeſt ordinatio Cameralis.

obſtant verba *Ord. Camer. P. 1. tit. 57.* ibi: Und nach redlichen, erbaren, und Ländiſchen Ordnungen, Statuten, und Gewohnheiten, der Fürſtenthum, Herrſchafft und Gerichten &c. Communiter eas exponunt, qui hactenus refutatum errorem communem defendunt; quaſi expreſſe hic diſponatur, quod Leges & Conſuetudines Statuum debeant eſſe honeſtæ & rationabiles. Sed falluntur, cum hic nihil aliud dicatur, quam quod conſuetudines & pariter ſtatuta ſeu leges & mores, non quivis privatorum, ſed totius provinciæ pro honeſtis reputa-

Digitized by Google

putari debeant. Neque enim dicitur nach Ländiſchen jedoch redlichen und erbaren Statuten und Gewohnheiten; Sed ſenſus eſt nach redlichen, erbaren, nehmlich Ländiſchen Statuten &c. Huc igitur applicare iterum poſſumus verba Nepotis ſupra deſcripta §. 23. mutatis tamen mutandis; *Autores ordinationis, cum didiciſſent, non eadem omnibus eſſe honeſta atque turpia, ſed omnia provinciarum inſtitutis judicari; nemo mirari debet, quod in præſcribenda norma judicandi Aſſeſſoribus Cameræ voluerint, honeſtatem & rationabilitatem ex provinciarum moribus eſſe judicandas.*

§. XXXIIX.

Quod ut diſtinctius intelligatur, ſic procedes. Mores illi provinciarum aut Leges vel conveniunt cum legibus & moribus Imperii, vel non conveniunt. Si conveniunt, nemo erit, qui eas turpitudinis accuſabit; Si diſconveniunt; Aut Status habent poteſtatem legislatoriam aut non habent. Atqui habent. Ergo ſi diverſum quid diſpoſuerint a Legibus Imperii, aut aſſeſſores Cameræ habent poteſtatem examinandi has leges, an honeſtæ vel turpes ſint, aut non habent. Si poſſunt examinare, fruſtra eſt poteſtas omnibus Legislatoria, quia ab arbitrio Aſſeſſorum Cameræ dependet. Si non poſſunt, fruſtranea eſt explicatio verborum Ordinationis Cameralis, acſi eæ demum Leges & Conſuetudines valerent, quæ honeſtæ & rationabiles ſint. Q. E. D.

Demonſtratio plus quam Mathematica expoſitionis noſtræ.

§. XXXIX.

Ex dictis jam facile patet, quid ſentiendum ſit de diſcurſu, qui reperitur in nova editione tractatus *MYLERIANI de Principibus & Statibus Imperii Parte II. cap. 38. §. 6. Quæritur autem: An valeat Statutum vel conſvetudo Provinciæ, ut res furtivæ a furibus ereptæ, ac ibidem repertæ, Fiſco aut Præſidi Provinciæ cedant, ac ab eo absq; ulla reſtitutione occupari poſſint, Sane talis cyclopica conſuetudo imprimis in Turgovia, aliisve Helvetiæ partibus, ſicut multa alia irrationalia, viget. Ac communiter reſpondetur, quod non: ita namque Jureconſultus:* Expulſis hoſtibus, ex agris, quos ceperant, dominia agrorum, ad priores Dominos redire & non publicari *in L. ſi captivus 20. D. de*

Erroneum exemplum conſuetudinis irrationabilis.

de captiv. & poſtl. reverſ. At cum ipſe Dominus rei ablatæ nihil deliquerit, crudele erit, tam funeſtam ſententiam ſuſtinere: arg. L. ſancimus C. de pœnis. Late Virgil. Pingiz. Quæſt. 19. per tot. Merito igitur hæc Conſuetudo vel Statutum ab Imperatoribus reprobatum fuit, in Conſtit. Crim. Caroli V. art. 207. Receſſ. Imper. de anno 1556. §. und nach dem. *Contra hujusmodi Statuta vel Conſuetudines Camera Imperialis mandata ſine clauſula decernere ſolet; Sicuti præjudicium refert Andr. Gail. 1. Obſerv. 18. num. 2. & 3. Quodſi Princeps aut Reſpublica extra Imperium exiſtens Civem Imperii hujus cyclopicæ conſuetudinis prætextu gravet & lædat, contra talem Repreſſalia optimo maximo jure ſuſcipi poſſunt.*

§. XL.

Ratio boneſtatis præfati exempli.

Scilicet initio hic cumulantur tres diſtincti medii termini, quibus memorata conſuetudo tanquam cyclopica impugnatur, (1) irrationalitas, (2) repugnantia juris Juſtinianei, (3) repugnantia Receſſus Imperii. Cum vero de legibus, receſſibus Imperii & juri Juſtinianeo contrariis, inpoſterum dicturi ſimus, jam quidem de ſola irrationalitate videndum. Suppono vero, non ſolos Magiſtratus quosdam inferiores in aliqua Provincia prætendere ex longa conſuetudine, acquiſitionem rerum furtivarum; hi enim non poſſunt facere conſuetudinem provinciæ univerſalem, qui non habent poteſtatem legislatoriam, ſed revera conſtare vel de conſvetudine univerſali provinciæ, uti in Turgovia & Helvetia, vel, uti Pingizerus loquitur *d. qu. 19.* quod in quibusdam locis ejusmodi Statutum expreſſum & ſcriptum reperiatur, furata bona fiſco applicanda eſſe. Hoc vero ſuppoſito inconvenienter allegatus eſt Receſſus Imperii *de anno 1559.* §. und nachdem *&c.* ut qui diſerte loquitur de Conſvetudinibus privatis quorundam judicum inferiorum.

§. XLI.

Jam autem facile oſtendi poteſt, talem conſuetudinem univerſalem vel Legem provincialem de bonis furtivis fiſco applicandis, & ſi apud multos populos juri naturæ adverſa videri

deri

deri poſſit, intervenientibus tamen quibusdam circumſtantiis in loco ubi eadem recepta eſt, rationibus non contemnendis poſſe eſſe ſuffultam. Quidſi enim legislatoris vel populi intentio ſit, Cives in cuſtodiendis forte rebus negligentes hoc pacto ad meliorem diligentiam adigere? Sane & in legibus Romanis furta plerumque culpa fieri docetur. Quidſi intentio ſit, ſumtus ad puniendos fures neceſſarios, quos alias Cives ſuppeditare deberent, ex bonis furto ablatis eſſe ſumendos, atque præſumſerit Legislator, hoc onus non grave futurum Dominis, ut qui plerumque ſpem amiſerint, res ſuas recuperandi? Quidſi in Republica Democratica per communem Reipublicæ ſponſionem tale ſtatutum ſit conditum: an tunc ullus civium de iniquitate ejus conquerendi habebit occaſionem? At quod in Republica Democratica ſuas rationes non injuſtas habere poteſt ſtatutum, illud non injuſtum fiet in Monarchia. Adde, quod Autor contra quem diſputamus, putet, contra tali conſuetudine utentes repreſſalia ſuſcipi poſſe. Et hoc indicio eſt, talem conſuetudinem non abſolute & ubique irrationalem aut Juri Naturæ adverſam eſſe. Ut enim de Juſtitia Repreſſaliarum hic non diſquiram, ſane in eo conſentire puto Dd. quod in illis quæ repugnant Juri Naturæ, repreſſaliæ locum non habeant. Quis enim furtum aut adulterium ſtatueret alio furto vel adulterio per modum repreſſaliarum eſſe vindicandum?

§. XLI.

Pari ratione, ut alio adhuc exemplo ſententiam noſtram declaremus, non difficulter oſtendi poteſt, conſuetudinem quæ fere unanimiter inter conſuetudines irrationales allegari ſolet, qua bona naufragorum cedunt Fiſco, abſtrahendo a lege poſitivâ eam pro irrationabili declarante, ratione ſua etiam non deſtitui, nec adeo Miniſtros Eccleſiæ qui in talibus locis ex ſuggeſtu publice Deum orant, daß er das Strand-Recht ſegnen wolle, quicquam contra regulas Juſtitiæ aut charitatis facere. Nimirum bonorum naufragii tempore ejectio, etſi jactus tum non fiat cum animo dere- *Aliud exemplum ſimile Conſuetudinis de bonis naufragorum, quæ & ipſa irrationalis eſſe ſaltem videtur.*

D relin-

linquendi, ſit tamen regulariter abſque ſpe recuperandi, cum ſciant ejicientes, aut præſumere debeant, res illas facile eſſe perituras, præprimis cum jactus naufragii cauſa ſoleat plerumque in alto fieri non prope littora. Porro Domini littorum, cum poſſint pro impenſis in littora & portus faciendis, a peregrinis exigere vectigal, quid æquius, quam ut loco vectigalis, de cujus gravitate communiter pendentes conqueri ſolent, retineantur merces a mari in littora projectæ. Adde, quod ſæpe difficillimæ probationis & inquiſitionis ſit, cujus ſint merces, ut adeo & hoc pacto eadem ſit illius conſuetudinis ratio, quæ alluvionum eſt. At alluvio inter modos acquirendi Juris Gentium refertur. Neque putandum eſt, dum publice populus orat, ut Deus benedicat juri huic acquirendi, harum precum eum ſenſum eſſe, quaſi Deus exorandus ſit, ut naufragia multiplicentur, ſed ut Deus efficiat, quo bona naufragorum mare non in fundo ſuo retineat, aut ea in alia, ſed in iſta littora ejiciat. Et quæſo quænam ſententia durior? An noſtra, quæ ſtatuit, conſuetudinem hanc non eſſe abſolute irrationalem; an altera, quæ non poteſt non tot pios Religionis Evangelicæ Miniſtros ſummi ac deteſtandi peccati accuſare, quod orent Deum, ut adjutor ſit peccati juri naturæ adverſi. Et non putandum eſt tot Reverenda Miniſteria in Germania obmutuiſſe, ut non ſaltem fratres de tanto peccato admonerent.

§. XLIII.

Tertium exemplum de nece hominis proprii vel plane non, vel ſaltem mulcta punita.

Addamus exemplum tertium. Sunt quædam loca Europæ, ubi homicidæ ſervorum aut hominum propriorum alienorum non capitaliter puniuntur, ſed mulcta pecuniaria, ſervorum vero propriorum plane nullam pœnam timendam habent. Solet & hæc conſuetudo ut irrationalis proclamari. Sed & pro ea tamen, ubi viget, rationes afferri poſſunt ſui ponderis. Jus vitæ & necis magiſtratui competens haud dubie non pugnat cum præcepto juris naturæ de non occidendo. Sed quid prohibet magiſtratum, quo minus hoc jus delegare poſſit aliis perſonis? Quid prohibet, quo minus poſſit hoc con-

concedere parentibus & Dominis intuitu liberorum & ſervorum delinquentium? Neque timendum eſt, parentes & Dominos eo abuſuros eſſe, quia parentes ſæpius nimis amant liberos, quam ut odio adverſus ipſos æſtuent, & quia Domini interficiendo ſine juſta cauſa perdunt pretium & operas ſervi, Fac vero eos aliquando abuti hoc jure. Abutitur etiam aliquando eo magiſtratus ſuperior. Propterea tamen non punitur, ſed Deo de malefacto reddit rationem. Reddent hanc etiam Domini ac patres abutentes. Adde, quod pœna omnium delictorum arbitraria ſit, & quod diſſentientes non majori ratione uti ſoleant, quam quod pœna homicidii capitalis lege naturæ ſit determinata, quæ tamen hodie a cordatioribus JCtis non attendi ſolet, cum fons erroris ſatis ſit cognitus, & à non paucis oſtenſus. Et potuiſſent diſſentientes eundem facile ex Lege Moſaica cognoſcere, ſi mens non læva fuiſſet. Jubet ibi Moſes, ut Dominus quidem ob ſervum interfectum capitaliter puniri debeat, ſi ſervus ſtatim moriatur, ſi poſtea, tum pœnam ei remittit. Quodſi enim intrinſeca moralitate pœna mortis deberetur homicidis omnibus, certe Deus pœnam Domini hic non ſuſpendiſſet ab incerto eventu, ſed a certa cauſa, quæ Dominum ad necem impulerit.

§. XLIV.

II. De Legibus Statuum contra receſſus Imperii Sententia Myleri has Leges non valere.

Sequitur II. quæſtionis membrum: An Status poſſint leges ferre contra Receſſus Imperii? Negant fere communiter *vide VITRIAR. Jur. publ. III. 17. 5. Excipio,* inquit, *MYLERUS de Statibus Imperii P. 2. c. 39. §. 5. Publicas Imperii Leges communi Principum & Statuum ſuffragio latas, aut quæ publicam Imperii utilitatem tangunt; Hæ enim nunquam aut certe difficillime per ſpecialia ſtatuta convelli queunt. SCHRAD. de feud. p. 10. num. 140. (Ideo nec valent ſtatuta contra publicas Imperii ſanctiones & Receſſus Imperii. DN. KNIPSCHILDT. dict. cap. 10. num. 46. Præſertim ſi leges Imperii cum clauſula derogatoria & annullatoria latæ fuerint, quæ contrario ſtatuto tolli nequeunt. STAMM. de ſerv. perſon. Lib. 3. c. 8. n. 14. & 17. Vide Frider. Martin. de jure Cenſ. c. 5. num. 24. KLOCK. de Contribut. c. 5. num. 160.*

§. XLV.

Ratio iſtius aſſertionis. Nobis initio videtur ſeparanda eſſe ipſa aſſertio ab ejus ampliationibus vel limitationibus. Leges Statuum Imperii non poſſe fieri contra Receſſus Imperii non aſſeruerim, ſed potius contrarium videtur verius, Leges Statuum & his derogare poſſe. Noſtra ſententia probatione non opus habet, cum fundetur in libertate & licentia. Omnia vero licent, quæ non ſunt prohibita. Ergo neceſſe eſt, ut prohibitionis ratio a diſſentientibus afferatur. Non vero aliam afferri video, quam conventionem, & quod receſſus communi ſuffragio lati ſint, & adeo per modum pacti Imperatorem & Status obligent. A pactis vero & conventionibus nemo poteſt recedere invito altero.

§. XLVI.

Examinatur: non indiſtincte verum eſſe, quod Receſſus obligent per modum pacti. Hic equidem nolo inquirere: an indiſtincte admittendum ſit, receſſus imperii valere per modum conventionis. Dico indiſtincte. Nam alias nota ſunt loca, quæ pro hac ſententia ex ipſis Legibus Imperii fundamentalibus allegari ſolent. At vero, quod non indiſtincte hæc ſententia ſit admittenda, etſi in omnium ore ſit, inde apparet; quia ſi ſaltem per modum pacti obligent receſſus, in nullo negotio amplius obtinebit pluralitas votorum, ſed ſemper unus etiam diſſentiens concluſo reliquorum non obligabitur, quia non conſenſit, quod quam laxet cohærentiam membrorum Imperii jam tum ſatis laxatam, cuilibet dijudicandum relinquo. Sed ſi non indiſtincte Receſſus per modum pacti obligant, illa ratio etiam non eſt adæquata nec univerſalis.

§. XLVII.

Non intereſſe reliquorum Statuum, ſi Leges provinciales fiant contra receſſus. Sed eſto: receſſus obligare ſingulos Status per modum conventionis, intelligendum id eſt haud dubie reſpectu eorũ capitulorum in Receſſibus, quæ pertinent ad Statum publicum Imperii, aut ad perſonas ipſorum Statuum, non vero reſpectu adminiſtrationis propriorum territoriorum, omnium vero minime reſpectu adminiſtrationis juſtitiæ & præſcriptionis Legum in uſum ſubditorum propriorum. Hac parte enim Impe-

Digitized by Google

rator & conſtatus nullum habent intereſſe. Exceptio vero, tua non intereſt, poterit opponi cuilibet agenti. Nec eſt quod dicas, intereſſe Imperii, ut conformes ubique ſint mores & leges. Nam & hæc aſſertio petit id quod eſt in principio, & exinde ſequeretur abſurdum, quod plane nulla ſtatuta & conſuetudines particulares valere deberent, quod legibus imperii plane adverſum eſt. Et notavit *PFEFFINGERUS ad Vitriarium III. 17. 5. lit. a. In Comitiis de anno 1641. deliberatum fuiſſe, quomodo Jus Civile* (eadem eſt ratio Receſſuum Imperii) *cum Principum Statutis conjungi poſſet, concluſumque;* Man ſolte zwar ſuchen, dahin zu bringen, wie eine Gleichheit *in Camera & inferioribus Principum Statuumque Tribunalibus*, einzurichten, wo aber Churfürſten und Stände, ein und andern falls halben, gewiſſe ausgedrückte Rechte, Landes-Ordnungen, Particular-Statuten und löbliche herkommene Gewohnheiten, oder auch *in ſimilibus rerum judicatarum & præjudicatarum obſervationes* hätten, ſie dabey zu laſſen wären, auch denenſelben hieran, durch die Erledigung angezogener dubiorum Juris in Camera, einige Beeinträchtigung nicht geſchehen ſolle &c. Eadem eſt ſententia *DN. HERTII de ſup. territ. §. 25. Equidem ex inſtituto optimæ Reipublicæ pulcrum erat uniformes Leges in univerſo Imperio & ſingulis Regionibus vigere; Verum quo minus illam perfectionem aſſequi ſemper liceat, non tantum* locorum & hominum, ſed & diverſa Rerumpublicarum conditio facit: quare neceſſitas ſubinde poſtulat Leges, pro temporum & *negotiorum uſu corrigi, novas ferri aut veteres renovari. Cum autem hoc ipſum commodius a ſpecialibus Rebuspublicis queat expediri, ceu ad quas malorum & commodorum ſenſus citius pervenit, facile intelligitur, regionum Dominos non tantum jura Romana & Pontificia, quæ multum ſæpe numero a moribus noſtris diſſonant, ſed & Receſſus Imperii ſine majoris Reipublicæ detrimento immutare poſſe.*

§. XLVIII.

Quod igitur addit Mylerus, Status Imperii non poſſe *Huc tamen* Leges condere *contra ſalutem publicam*, id quidem nullum *non pertine-*

 habet *re, quod Sta-*

tuum Leges non poſſint condi contra ſalutem publicam.

habet dubium, ſed plane ad rem præſentem de Legibus Statuum contra Jus commune non pertinet, quia Leges Statuum præſcribuntur ſubditis in territorio, & reſpiciunt ſaltem Statum territorii, non totum Imperium. Apposite ad ſcopum noſtrum ILLUSTRIS HUGO *de Statu Regionum Germaniæ. c. 3. §. 19. Quæ ad publicum imperii Statum ſalutemve communem pertinent, ea non ab ordinibus ſingulis, ſed ab Imperatore, totoque Imperio Legibus definienda. Si quid autem de his rebus in ditionibus ſuis Ordines ſtatuant, Legibus Imperii conforme eſſe oportet. Ex hac ratione eſt, quod appellatio ad Imperatorem, vel Cameram Imperialem Statuto prohiberi non poſſit, quia hoc Jurisdictioni Imperiali præjudicaret:* Welches nicht allein *(verba ſunt Ordinationis Cameralis)* den Rechten zuwider, ſondern auch dem Kayſerlichen Kammer-Gericht, und deſſen *Jurisdiction*, zum höchſten abbrüchig, *quanquam ſolennitas vel forma certa appellandi ſtatuto introduci poſſit, cum per hoc auctoritati ſummorum judiciorum nihil derogetur. Non addo plura exempla, Res enim clara eſt. Proprie igitur ad poteſtatem ordinum* Νομοθετικὴν *pertinet, Statum ſingularum regionum, non quatenus ad Imperium refertur ſed in ſe ſpectatum, & Jus præterea privatum legibus conſtituere. Quatenus igitur in his rebus Juri communi derogari poſſint, inveſtigandum.*

§. XLIX.

v. g. contra A. B. Capit. & Inſtr. Pac.

Exemplum dubium: An valeat Lex prohibens appellationem ad Cameram.

Etſi vero de re ipſa non ſit dubium, quod Status Imperii non poſſint Statui & Juri publico derogare, mallem tamen minus dubium exemplum ejus rei fuiſſe allatum. Ita v. g. Status non poterunt Legibus ſuis derogare Aureæ Bullæ, Capitulationibus, Inſtrumento Pacis Weſtphalico &c. Quod vero exemplum de prohibita appellatione ad Cameram attinet, res eſt altioris indaginis, an huc pertineat. Affirmant quidem Dd. communiter *vid.* MATTH. STEPHANI *de Jurisd. L. 2. P. I. c. 3. n. 182.* STAMLERUM *de reſervatis Imperatoris §. 45. n. 1. & 2. p. 221.* Sed Stamlerus nullam aliam rationem reddit, quam quia tale Statutum ſit contra Jus commune, id quod eſt,

quod

Digitized by Google

quod jam quærimus. An contra ſtatum publicum ſit tale ſtatutum, etiam dubium eſt. Quid enim intereſt Reipublicæ Germanicæ ut locus ſit appellationi? An propterea melius redditur juſtitia partibus? An apud Status, qui privilegio de non appellando gaudent, non æque bene redditur? Annon quotidiana experientia docet, reos, quorum ſemper eſt fugere, ſtrenue abuti hoc remedio, cum ſciant lites Wetzlariæ æque ac Spiræ ſpirare perpetuo ſed non exſpirare; imo multos etiam hoc remedio palliare inobedientiam ſuam. Facile contingere poſſet, ut re exactius penſitata, homini a partibus vacuo videatur, magis proficuum eſſe Imperio, ſi omnes Status haberent privilegia de non appellando, vel potius, magis convenienter doctrinæ juris loquendo, ut ex privilegiis fiat jus commune. Adde quod ipſe Dn. Hugo concedat, Statibus liberum eſſe præſcribere formam appellationi. Quidſi igitur Status talem legem ferant, ut appellaturus ſemper ſummam, rem, de qua litigatur minimum ad dimidium exæquantem in caſum ſuccumbentiæ deponat? Aut quid ſi, quod optimum remedium eſt, Status ſuos provinciales diſponant, ut in ſalutem communem provinciæ renuncient remedio appellationis? Sed de hac materia jam quidem nobis prolixioribus eſſe non licet.

§. L.

Quid ſi receſſus expreſſe derogent Legibus Statuum?

Jam videndum, an etiam Leges Statuum poſſint derogare Receſſibus clauſula derogatoria munitis. Hic vero conſpirant fere, & qui in genere negant valere Leges Statuum Imperii contra receſſus, & qui regulariter eas derogare poſſe receſſibus aſſerunt. Priores ſententiam ſuam ampliant, quod *præprimis* valeat, ſi clauſula illa adſit, ut ſupra Mylerus *§. 44.* Poſteriores limitant, ut Status non poſſint adverſus receſſus diſponere, ſi hi clauſula derogatoria ſint muniti. Huc pertinet ſuo modo diſcurſus ILLUSTRIS HUGONIS *d. c. 3. §. 21.* (quem ſequitur *SCHWEDER. Part. ſpecial. Sect. 2. c. 13. §. 2.*) *Receſſus Imperii*, inquit, *quod attinet, videndum qua mente iis quippiam*

piam

Digitized by Google

derogatoria, vel qua Ordinibus Imperii diverſum aliquid ſtatuere expreſſe permittitur, non ſemper addatur; ex circumſtantiis tamen judicandum, quæ mens Conſtitutionis ſit. Et in dubio quidem Lex univerſalis & perpetua cenſenda, ut non niſi eodem modo, quo lata, plenis Comitiis iterum abrogari poſſit. Hac enim Legum ordinaria vis atque auctoritas eſt, ut omnes obliget. Qua de re ita Ulpianus: Poſt reſcripta principalia, an ab hoc *(ſtatuto municipali)* diſceſſum ſit, videbimus: quia generalia ſunt reſcripta, & oportet Imperialia ſtatuta ſuam vim obtinere, & in omni loco valere. *Exemplum hujus rei habemus in materia uſuraria. Licet enim in Regionibus nonnullis uſurarum vel annuorum redituum nomine ſex in centum vel plus etiam ſtipulari liceat: In Camera Imperiali tamen ſecundum conſtitutiones publicas, non attentis locorum illorum ſtatutis & conſuetudinibus, quinque tantum adjudicantur.* Quamvis, ut ex poſterioribus his obſervationibus apparet, ea plane inclinent in ſententiam negantem: Leges Statuum nihil valere contra receſſus, niſi receſſus indulgeant iis expreſſe hanc poteſtatem.

§. LI.

Ut autem de toto hoc negotio diſtinctius judicari poſſit, præjudicium eſt, an poſſit Juri ſtatutario ſeu Legibus & moribus Statuum derogari poſteriori Imperatoris ſanctione? Affirmat quæſtionem MYLERUS *d. c. 39. §. 7. modo id fiat in Comitiis publicis Imperii, alias ſecus dicendum erit.* BETS. *de pact. famil. cap. 2. fol. 34. Talis conſtitutio de ſucceſſione Nepotum in bonis Patruorum, lata fuit in Comitiis Spirenſibus: vide Conſtitutionem hanc* in Reichs-Abſchied *de anno 1529.* Negat eam ILLUSTRIS COCCEJUS *in Juris publ. prud. c. 23. § 4. Neque leges Imperii etſi poſteriores, his ſtatutis in cauſis privatis ſubditorum derogare poſſunt.* PAC. MON. *art. 8.* CAP. FERD IV. *art. 3. Obj.* R. A. *1529. rubr.* Kayſerl. *Conſtit.* wie Brüder und Schweſter ꝛc. *vid.* COLER. *dec. 48. n. 9. & ſeqq.* BERLICH. *part. 3. concil. 24. n. 17. & ſeqq.* Quemadmodum autem conferenti hæc duo loca ſtatim apparebit, Dn. Coccejum

Præjudicium: an Receſſus poſſint derogare? Affirmat Mylerus

Negat Cocceius.

E præ

præ oculis habuiſſe Mylerum; ita ante omnia monendum eſt, rationes Dn. Cocceji hic non eſſe ſeparandas, ſed conjungendas. Alias enim per allegatum Inſtrumentum Pacis & Capitulationem Ferdinandi IV. nil amplius probari videtur, quam quod Imperator ſolus non poſſit aliquid de Jure immutare in Conſuetudinibus & Legibus Statuum, non vero, quod id non fieri poſſit per Receſſus Imperii.

Cujus rationes non ſunt ſeparanda.

§. LII.

Locus Inſtrumenti Pacis art. 8. §. 4.

Et capit. Ferdin. IV. art. 3.

Ita enim ſe locus habet *in Inſtrumento Pacis art. 8. §. 4. in fine: De cætero omnes laudabiles conſuetudines & Sacri Romani Imperii conſtitutiones & leges fundamentales, imposterum religioſe ſerventur, ſublatis omnibus, quæ bellicorum temporum injuria irrepſerunt, confuſionibus.* Similis eſt ratio Capitulationis FERDIN. IV. *art. 3.* ubi promiſit Rex, quod velit den Ständen ihre Regalia, Freyheiten, Privilegien, Pfandſchafften und Gerechtigkeiten, auch Gebräuche und gute Gewohnheiten, ſo Sie bißhero gehabt haben, oder in Ubung geweſen ſeyn, zu Waſſer und zu Land, in guter beſtändiger Form, auf gebührendes Anſuchen, *confirmi*ren und beſtätigen, Sie auch dabey als erwählter Römiſcher König handhaben, ſchützen und ſchirmen. At vero cum Receſſus fiant a toto Imperio, ſane, ſi in illis quid diſponatur, quod deroget Legibus Statuum, id ex Inſtrumento Pacis & capitulatione Ferdinandi impugnari poſſe non videtur. Nec obſtat, quod tamen in Capitulatione promiſerit Rex, quod velit Statuum Leges & Statuta manutenere & defendere. Quamvis enim in d. Capitulatione non addatur, qualis defenſio & protectio Legum Provincialium ſit intelligenda, dicit tamen poſſet, quod ibi non intelligatur defenſio contra concluſa Imperii. Ac videtur hæc ſententia confirmari, quod in Capitulationibus ſequentibus Leopoldi & Joſephi dilucidis verbis ſit expoſitum, qualis defenſio intelligatur: Sic enim poſt verba ex Capitulatione Ferdinandi IV. excerpta legitur *in artic. 3. Capit. JOSEPHI* und niemanden einig *Privilegium* darwider ertheilen, und da einige vor oder bey vorgeweſenem 30. jährigen Krieg darwider ertheilt

ertheilt worden wären, ſo im Frieden-Schluß nicht gut geheiſſen, oder *approbi*ret worden, dieſelbe gäntzlich *caſſi*ren und *annulli*ren, auch hiermit *caſſi*ret und *annulli*ret haben.

§. LIII.

Porro ſi locum COLERI ſeorſim intuemur, non multum videtur obſtare ſententiæ Myleri. Uti enim tota *deciſio* 48. agit de fratribus & fratrum liberis, quomodo ſuccedant; Ita ſumma ejusdem in hoc conſiſtit. *In jure civili, quando aliquis defunctus neque aſcendentes reliquit, tunc primi vocantur ad hæreditatem fratres & ſorores utrinque conjuncti, & cum iis ſimiliter fratrum & ſororum præmortuorum liberi, qui ex noviſſima Juſtiniani Conſtitutione, cum patruis & avunculis ſuis jure repræſentationis admittuntur in ſtirpes non autem in capita, ita ſcilicet, ut quotcunque tandem fuerint, tam magnam ex hæreditate portionem capiant, quanta percepturus fuiſſet ipſorum Pater, ſi ſupervixiſſet. Jure autem Saxonico ſtatim poſt ipſos fratres in capita procedit diviſio, quia de conſuetudine iniquiſſima Saxonica Jus repræſentationis in collateralibus locum habere negatur. Ex quo fit, ut in tali ſucceſſione collateralium frater excludat præmortui fratris ſui liberos. Quod licet valde iniquum ſit; tamen quia longæva conſuetudo illud approbavit, & jure obſervatur; Et ſecundum hoc pronunciatur. Neque attenditur, quod Imperator Carolus V. in Comitiis Wormacienſibus Anno Domini 1521. celebratis novam ediderit conſtitutionem, quæ habetur* in der Reichsordnung *fol. 81. tit.* das *Edict* von dem Regiment zu Nürnberg im 1521. Jahr ausgangen, von *ſucceſſion* Brüder und Schweſter Kinder ꝛc. *ubi noviſſime conſtituitur, præmortui fratris liberos una cum patruis ſuis ad hæreditatem defuncti fratris admittendos eſſe, non obſtan-*

Sententia Coleri etiam magis videtur facere contra Leges Statuum receſſibus repugnantes.

te aliqua conſuetudine contraria. Nam iſtam Imperatoris Conſtitutionem non eſſe receptam, ajunt, neque quicquam juri Saxonico obſtare; quia nos vivimus ſecundum Jus Saxonicum, quo fit, ut ſpreto Imperatorio edicto Jus Repraſentationis in terris, ubi vigent jura Saxonica, in collateralibus non habere locum pronuncietur: Contrarium tamen conſultum fuiſſe apparet ex Conſil. Gœden. Conſ. 6. per tot. titul. de feudi ſucceſſione, quod eſt in ordine Conſilium 21. Sed fatuus eſſet, qui ſe ex illa deciſione fundaret, contra tam manifeſtam & notoriam conſuetudinem. Sed ſupra dicta Conſtitutio Imperatoris, licet nominatim tantum contrarias conſuetudines vetet, tamen etiam ſtatuta & ſimilia ipſi contraria abrogaſſe creditur, in illis verbis conſtitutionis: und nach einiger Gewohnheit, noch ander ſo dawieder ſeyn mag: *eſt enim derogatoria valde generalis vid. edictum Imperator. Norimb. editum anno 21. Nota quod & hanc conſtitutionem Epiſcopus Albertus Magdeburgenſis recepit; ſed Duces Saxonia non receperunt, neque Magdeburgenſes neque Lipſienſes.* Vides ab ipſo Colero conſuetudinem Saxonicam vocari iniquiſſimam. Idem aſſerit, quod jus Saxonicum ſpernat Imperatorium edictum, quod Duces Saxoniæ id non receperint &c. quæ ſane ſatis perſpicue inducunt, ipſum Colerum non magnifice ſenſiſſe de Legibus Statuum, quatenus repugnant receſſibus, & quod in ea fuerit opinione, acſi receſſus Imperii omnino poſſint derogare Legibus Statuum, etſi Status quandoque reſiſtant, de facto magis quam de jure.

Berlichius contradicit quidem Colero, ſed nulla addita ratione.

§. LIV.

Reſtat locus Berlichii, ad quem ultimo provocabat D. Coccejus. Si tamen & hunc evolvas, invenies quidem eum aliquo modo contradixiſſe Colero & magis inclinaſſe ad ſententiam Juris Saxonici, ſed tamen ex eo non poſſe rationem

tionem deſumi, quæ multum inſerviat ad refutandum Mylerum. Sic enim loquitur *d. part. 3. concl. 24. n. 17. ſeqq. Nec adverſatur, quod Imper. Carol. V. in comitiis Noribergenſ. Anno 1521. in fin. verbis expreſſis ſancivit, ut non obſtante aliqua conſuetudine fratrum filii ſemper cum patruis ſuis admitterentur; Quia illa conſtitutio Imperialis in his terris non eſt approbata, ſed Elector & Duces Saxoniæ contra illam ſemper proteſtati ſunt, & eam recipere noluerunt Non obſtante quod Albertus Archiepiſcopus Magdeburgenſis dictam Conſtitutionem Imperialem receperit, & hodie contrarium in Archiepiſcopatu Magdeburgenſi pronuncietur, & fratrum filii cum patruis vel defuncti fratribus admittantur. Quam Conſuetudinem pronunciandi, ut ſcilicet fratrum filii cum Patruis non ſuccedant, etiam approbavit Auguſtus Elector Saxoniæ in ſuis Novell. part. 3. Conſt. 18. §.* Wir wollen aber mit dieſen unſern Geſetze. *ult.*

§. LV.

Sed his tamen non obſtantibus puto ſententiam Illuſtris Cocceji præferendam eſſe communi opinioni, quam Mylerus ſequitur loco §. *51.* deſcripto. Et quamvis loca ab ipſo allegata ſi ſeparentur, per modo dicta non multum videantur probare, notus tamen eſt verſiculus, quod quæ non proſint ſingula, juncta juvent. Non equidem promittere poſſum, quod ea, quæ dicturus ſum, futura ſunt omnia ad Viri Illuſtris mentem. Sed quodſi tamen ex allegatis ab eo locis defendere debere veritatem ſententiæ, quod Status Imperii poſſint Leges ferre contra receſſus Imperii, expreſſe Legibus Statuum derogantes, & quod adeo tales Receſſus nullam juris efficaciam habeant, niſi quatenus a ſingulis Statibus approbentur, ſic procederem. Ante omnia, quia omnes quæſtiones propoſitis caſibus & exemplis eo melius intelliguntur, ſolliciti ſimus de

Defenditur tamen ſententia Dn. Cocceji.

 caſu

caſu, ad quem ſententiæ diverſæ applicari poſſint. Commode vero ſe offert *Edictum Caroli V. Norimb. de anno 1521.* (nam de hoc loquitur & Colerus & Berlichius, & id magis quadrat ad rem præſentem, *quam* R. A. *de anno 1529. rubr.* Kayſ. *Conſt.* wie Brüder und Schweſter, quem adduxit Mylerus in loco ſupra deſcripto, & propterea etiam repetiit Dn. Coccejus, ut innueret, quod ad diſſentientem Mylerum reſpiceret) in quo Conſtitutio Maximiliani (*vide ſupra locum* HUGONIS §. 50.) repetitur, quod fratrum filii concurrentes cum fratribus defuncti debeant ſuccedere in ſtirpes, addita clauſula, quod omnes contrariæ conſuetudines debeant eſſe abrogatæ & annullatæ. Non vero erat alia conſuetudo, quam quæ apud Saxones tum adhuc erat recepta, ubi fratrum liberi non admittuntur cum fratribus, quia remotiores ſunt, nec repræſentatio Juris Civilis in linea collaterali Jure Saxonico locum habet. Nullum ergo eſt dubium, quin tota hæc conſtitutio Imperialis intenderit primario abrogare velle Jus Saxonicum. Jam quid ad hæc Duces Saxoniæ? Proteſtati ſunt contra iſtas conſtitutiones Imperii; retinuerunt in territoriis ſuis conſuetudinem hactenus receptam & Jus Saxonicum, neque retinuerunt ſaltem, ſed & Auguſtus Legislator Electoratus Saxonici in Conſtitutionibus ſuis (*vide locum* BERLICHII) id contra receſſus Imperii confirmavit & corroboravit. Habes hic jam Illuſtres contradicentes, ex una parte Cæſarem cum reliquis Statibus & receſſibus, ex altera Electorem Saxoniæ cum aliis Saxoniæ Ducibus & Conſuetudinibus ac Conſtitutionibus provincialibus. Quæritur jam ex cujus parte ſtet Juſtitia? Reſpondeo ex parte Saxoniæ.

Intentio Edicti Caroli V. Norimb. de anno 1521.

§. LVI.

Demonſtro: Jam per Leges Imperii antecedentes Statuta & Leges provinciales ac conſuetudines honeſtæ & laudabiles ſæpius erant confirmatæ. (*vid. ſupra* §. 37.) Et partim hoc intuitu, partim etiam vi ſuperioritatis territorialis Status ſinguli

Demonſtratur, non poſſe abrogari per Receſſus le-

ſinguli habebant Jus quæſitum. Ergo & Elector Saxoniæ intuitu Juris Saxonici. Obſervat Jus Saxonicum in linea collaterali hanc perpetuam regulam, quod gradu proximior remotiorem excludat, & quod jus repræſentationis hic nullum inveniat locum. Nihil hic afferri poteſt, quod hominem nullo præjudico occupatum perſuadeat, acſi in hoc jure aliquid ſubſit, quod honeſtati repugnet. Convenit potius idem cum antiquis Germaniæ moribus. Neque Germania unquam ſubfuit Imperio Romano. Leges Juſtinianeæ non latæ fuerunt Germanis. Eſto, repræſentationem Juris Juſtinianei in linea collaterali etiam nihil continere, quod honeſtati naturali repugnet. Eſt materia ſucceſſionis ab inteſtato ſic comparata, ut pro arbitrio Legislatoris, niſi aliud obſtet, varii ſuccedendi modi recipi poſſint. Ita in linea recta Jure Juſtinianeo olim fratres defunctorum excludebant aſcendentes: Jure noviori partiuntur aſcendentes cum fratribus hereditatem. Jure Germanico ſoli Parentes ſuccedunt, excluſis fratribus. Singulæ hæ ſucceſſionum leges rationes ſuas habent, nulla earum rationi aut honeſtati adverſatur. Par ratio eſt variantis ſucceſſionis collateralis. Quænam itaque cauſa movere poterat Imperatorem & Status Imperii, ut invito Saxoni vellent obtrudere, ut admitteret ſucceſſionem Nepotum defuncti ex fratribus vel ſororibus cum patruis & avunculis? Sane nulla alia, quam cœcus amor juris peregrini, id eſt Juſtinianei, qui & COLERUM excœcavit, ut mores patrios ſeu Saxonicos *ſupra* §. 53. tanquam iniquiſſimos, ſed abſque ulla vel minima ratione traduceret. Inſinuaverat ſe quidem ſubdole Jus Romanum jam tempore Friderici III. ex Italia cum Academiis in Germaniam. Neque contentum erat, quod ejus doctrina in Academiis tolleraretur, volebat etiam cum ſumma injuria ejicere ex foro mores antiquos. Conqueſti jam erant Status ſub Imperio ejusdem Friderici III. ſuper hac injuria, & graviter quidem, prout videri poteſt in *Reformatione Friderici III. de anno 1441.* (de qua latius diſſeruit DN. PRÆSES *in qu. 10. Hiſtorico Politico-Juridica.*) Ac defenderant ita utcun-

ges aut Conſuetudines Statuum.

que

que Jus Germanicum. Interim ſub Maximiliano I. amaſii Juris peregrini non ceſſaverant, impudentia ſua fatigare Regem & Status, donec in Ordinatione Cameræ id ſaltem ut jus ſubſidiarum reciperent, deficientibus videlicet moribus & Statutis Germaniæ. Debebant adeo hac aliquali receptione in forum contenti eſſe. Sed non deſtiterunt novis machinis oppugnare mores Germaniæ. Varia Juris Juſtinianei capita per receſſus erant introducta, nondum tamen expulſo jure Germaniæ diverſa diſponente. De guſtibus non eſt diſputandum. Dum poteſtate Legislatoria gaudent Status, poſſunt etiam, ſi ipſis ita videatur recipere jus peregrinum. Modo eadem libertas relinquatur reliquis, quibus placebat ſervare Leges patrias. At ſub Carolo V. ſummo iniquitatis apice volebant oſores morum Germaniæ illud plane ejicere ex foris. Volebant pluralitate votorum vincere, cum tamen hic non agatur de conſervanda ſalute Imperii, ſed potius de oppugnando jure Statuum eorumque poteſtate Legislatoria, & ſimul de evertendis legibus Imperii, Conſuetudines Germaniæ confirmantibus. Jure itaque optimo maximo Elector Saxoniæ Libertatem Statuum & poteſtatem Legislatoriam iis competentem, proteſtatione ſua defendit, jure irrefutabili ſuſtinuit mores patrios & Ordinationem Cameræ eos ſtabilientem. Obtinuit etiam juſtiſſimum hoc deſiderium ſtrenue, conſervavit conſtantia nunquam ſatis laudanda Leges Germaniæ antiquas. Quare cum in inſtrumento pacis *dict. art. 8. §. 4.* ſolenni fœdere cautum ſit, ut omnes laudabiles i. e. communiter receptæ conſuetudines & Leges fundamentales Imperii debeant impoſterum ſublatis omnibus confuſioni bus religioſiſſime ſervari; cum a temporibus Ferdinandi IV. in Capitulationibus ſancte promiſſum ſit, quod Rex velit & debeat Statuum Statuta; Conſuetudines receptas & longo uſu confirmatas, defendere & protegere, adverſus omnes technas ac violentiam, quis non videt etiam, ſimul includi defenſionem contra technas eorum, qui ſub prætextu receſ-

ſuum

Digitized by Google

ſuum Imperii vel Leges Germanorum voluerunt expellere, vel libertati Leges pro arbitrio condendi frenum injicere.

§. LVII.

Reſpondetur ad aliorum ſententias.

Quæ omnia cum evidentiſſime demonſtrent, quod hactenus quæſivimus, & Receſſus Imperii non poſſe derogare juribus Statuum, & inanes adeo eſſe clauſulas ejusmodi derogatorias, ſua ſponte jam apparet, quid ſentiendum ſit de triplici aliorum Doctorum opinione circa quæſtionem huc usque ventilatam. Sunt enim, qui putant I. tum demum receſſus Imperii non derogare Legibus Statuum, ſi Princeps aut Status Imperii Legem illam recipere nolens proteſtatus fuerit, ut faciunt quos citat *VITRIARIUS III. 16. 6. item MYLERUS de Stat. Imp. 39. 8.* Nos vero putamus, proteſtatione ne quidem eſſe opus, ſufficere, quod non conſenſerit in illum Receſſum. Imo nec conſenſum quidem in Receſſum Statui obeſſe, ut poſtea non poſſit in Republica ſua legem receſſui adverſam condere, uti Principi cuilibet non obſtat, quod legem aliquam in Republica ſemel tulerit, quo minus eandem uſu exigente rurſus abrogare poſſit, & quia ſupra oſtendimus, Imperatorem & reliquos conſtatus hic nullum habere verum intereſſe.

I. Tum demum Receſſus non derogare legibus Statuum, ſi Status proteſtati ſint.

§. LIIX.

II. Ne quidem ſufficere proteſtationem.

Alii II. arbitrantur, ne quidem ſufficere proteſtationem. Ita *VITRIARIUS ipſe III. 17. 7. Verum*, ait, *putamus hic, videndum eſſe, an alicujus Status proteſtatio ab Imperatore, & reliquis Imperii Statibus ſit admiſſa, nec ne? alias enim ſi ſimplex proteſtatio ſufficeret, facile Comitialia decreta irrita reddi poſſent, & fruſtra omnibus ſanctionibus Imperii adjiceretur clauſula ab Imperatore:* Und befehlen wir darauff Euch allen und jeden, unſern und des Heil. Reichs Chur-Fürſten und Ständen &c. hiemit aus Römiſcher Kayſerlicher Macht, bey den Eyden und Pflichten, die ihr uns von des Reichs wegen inſonderheit gethan, und bey dem Gehorſam, den ihr uns als Römiſchen Kayſer ſchuldig ſeyd, auch bey Verluſt aller Gnaden, ſo ihr von uns und dem Reich, oder andern habet, ernſtlich und feſtiglich gebie-

tend. Nos cum proteſtationem hic eſſe ſuperfluam oſtenderimus, facile reſpondemus Objectioni Vitriarii. Neque enim a particulari poteſtate Statibus competente intuitu Capitulorum in receſſibus, quæ controverſias privatorum de meo & tuo, aut ſubditorum ſingulorum ſtatuum etiam alio modo reſpiciunt, ad omnia decreta Comitialia concludi poteſt, quod vel iis non ſint obſtricti Status, vel proteſtando contra eadem jus ſibi aliquando reſervare poſſint. Ut taceam, quod novioribus temporibus Status Imperii totius ita ſit laxatus, ut etiam in publicis negotiis non ſolum in cauſis religioſis, ſed & toties, quoties unius Status præjudicium aut intereſſe verſatur, Doctores Juris publici prætendant, Legibus novioribus Imperii non multum refragantibus, quod pluralitas votorum non obliget diſſentientes. Porro an *omnibus* ſanctionibus adjiciatur clauſula a Vitriario adducta, dubito: Sane ejus *Scholiaſtes ad III, 15, 6.* eam in rem adducit conſtitutiones pacem Imperii publicam reſpicientes, a quibus ad capita receſſuum diſponentia de juribus privatorum non licet inferre.

§. LIX.

3. Peculiarem eſſe Juris Saxonici auctoritatem.

Tertia ſententia eſt ejusdem *PFEFFINGERI ad Vitriarii III. 17. 5. lit. e.* peculiarem eſſe Juris Saxonici auctoritatem: *Non valent,* inquit, *Leges Statuum Imperii, ſi vergant in præjudicium Imperii. Secus eſt, ſi quid aut plane non in Receſſibus definitum, aut definitum quidem, ſed ſalvis ſtatuum juribus, Peculiaris Saxonici juris autoritas eſt, vigentis, licet Imperii Legibus aliud cautum ſit.* Quia vero non adducitur peculiaris ratio, cur Jus Saxonicum peculiarem auctoritatem habere debeat, nos potius declaramus ſententiam noſtram, ut valeat non tantum intuitu juris Saxonici, ſed & ratione Juris Statutarii cujusvis, quod a ſtatibus Imperii auctoritatem habet.

§. LX.

III. De Legibus Statuum Imperii contra jus com-

Pergo ad III. caput diſſertationis noſtræ, de jure videlicet communi provinciæ. Illi derogari poſſe a Statibus Imperii per alias novas leges nullum dubium eſt, cum & principiis juris Gentium, & Doctrinæ Juris Romani, & fundamen-

tis

Digitized by Google

tis Juriſprudentiæ publicæ, & quotidianæ experientiæ id ſit conforme. Id ſaltem quæritur: An Princeps Imperii poſſit tales condere Leges ſine conſilio vel conſenſu Statuum provincialium? Paucis reſpondemus: regulariter poſſe, niſi pactis aliud cautum ſit. *DN. COCCEJUS d. l. c. 23. §. 4.* Ante omnia tamen hic non confundenda eſt quæſtio conſilii cum quæſtione juſtitiæ, item quæſtio quid fiat, cum quæſtione quid fieri neceſſe ſit. Priores ad præſentem diſſertationem non primario pertinent: Etſi & hic mallemus, Doctores nonnullos, qui recenſent, quid fiat, abſtinuiſſe ab actione Legum Romanorum & auctoritate Doctorum. Quid enim hic reſpondendum ſit, docent principia Politices & Hiſtoriæ Regionum Germaniæ.

mune provinciale. An ad eas neceſſarius conſenſus Statuum provincialium?

§. LXI.

Quare facile patet, quid ſentiendum ſit de doctrina *MYLERI d. c. 39. §. 9. Porro*, inquit, *hac poteſtate condendi jura ſententia provincialia, Principes & Status Imperii plerumque utuntur in conventibus provincialibus*, auf den Land-Tägen, mit Rath und Gutachten der Land-Stände, *ac ordinum provincialium* der geſamten Landſchafft *conſenſum, utpote in rebus & moribus patriis optime eruditorum & verſatorum prius requirunt & adhibent*, arg. l. humanum 8. C. de legibus l. illa decreta 2. de Decret. ab Ord. Coler. de proc. execut. part. 1. cap. 3. num. 6. Limn. Lib. 4. jur. publ. cap. 8. num. 255. Bologn. in d. l. omnes populi 9. num. 75. D. d. Juſt. & Jur. (*Nam exinde optimam ſimul legitimi & æquiſſimi Regiminis formam & notam reſultare, cenſet & quidem merito Matth. Stephan.* 2. de l. dict. part. 1. cap. 1. membr. 2. num. 10. ſeqq.) *Quod nullo modo Principis Imperii ſuperioritatem, ejusve regendi felicitatem imminuere, ſed magis promovere, & ad beatitudinem Imperii, ejusve gloriam redundare, tradit Camman.* de Regal. diſp. 4. theſ. 9. Cluten. in paradox. theſ. 10. Quis enim hic non dolet v. g. (ut de reliquis taceam) ad probationem aſſertionis, quod Status provinciales in rebus & moribus patriis optime verſati

Judicium de ſententia Myleri in quæſtione quid fiat?

ſint, & quod propterea non imprudenter adhibeantur, tantum apparatum Legum & Dd. afferri.

§. LXII.

Item in altera; quid fieri debeat?

Similis eſt ratio eorum, quæ ſequuntur apud eundem in quæſtione de Jure & neceſſitate. Sic enim pergit *ibid.* §. *10. Verumtamen hoc magis Voluntatis, quam neceſſitatis eſſe, plurimi Doctorum tradunt.* arg. L. 4. C. de Leg. Dn. Bocer. cl. 1. diſp. 3. th. 42. *In quo tamen puncto, Regionis obſervantia*, das Herkommen, *aut pacta conventa inter Printipes & Status Provinciales attendenda erunt.* (*Ita in Ducatu Würtenbergico pactis certis ordinatum eſt:* Land-Recht und Landes-Ordnungen zu machen, mit Einrathen und Zuthun einer geſamten Landſchafft. *Hoc eſt, ut cum conſilio & cooperatione Statuum Provincialium conficiantur. Eodem modo in Principali Comitatu Tyrolenſi Leges locales cum conſilio & cooperatione Statuum Provincialium conduntur; Sicuti conſtat ex Statutis Comit. Tyrolenſ. paſſim.* Nam ſententiam, quod regulariter non neceſſe ſit adhibere Statuum conſenſum, probare velle ex L. 3. C. de leg. & a poteſtate Theodoſii & Valentiniani ad poteſtatem Statuum Imperii, a Statu Reipubl. Romanæ illorum temporum ad Statum hodiernum Regionum Germaniæ argumentari velle: revera ad argumentationes pertinet a baculo ad angulum. Porro quod in ſupplemento de Statibus Würtenbergicis additum eſt, vereor, ut ſuppleat doctrinam circa hanc quæſtionem, vel juſtum exemplum eorum, quæ differit Mylerus, præbeat.

§. LXIII.

Non confundenda hic eſſe vota Statuum provincialium conſultativa cum deciſivis.

Quod enim in pactis ejusmodi cum Statibus provincialibus, aut etiam in moribus regionum variantibus diſtinguendum ante omnia ſit inter vota Statuum provincialium conſultativa, & quæ plus quam conſilium nudum continent, malo verbis ILLUSTR. DN. DE RHETZ exponere, quam meis, *Lib. 2. Inſtit. Jur. publ. tit. 3. §. 4. Has leges provinciales plerique Electores & Status Imperii in Comitiis provincialibus, vel habitis tamen iis, ferre ſolent, juxta morem in quaque regione receptum; In aliquibus enim regionibus, provinciales Status majori libertate utun-*

Digitized by Google

utuntur, quam in aliis. Ludolph. Hugo in tract. de Statu Region. Germ. c. 4. §. 29. & ſeqq. *Sic in Friſia Orientali in ejusmodi Comitiis plus quam votum conſultativum habent. In Lüneburgenſi Ducatu olim libere ſub cælo aperto convenerunt, vulgo* unter dem blauen Himmel *in ſylva quadam ambactia* Bodenteich. *In Brunſvicenſi Ducatu etiam ſub Dio, prope Elram in parvula ſylva* Kreyenholtz genannt *convenerunt.* Oldenb. in Notit. Imp. P. I. Diſc. 23. n. 4. *Alibi vocantur quidem ad Comitia provincialia, ſed tantummodo votum conſultativum habent, aut facultatem conſentiendi. Alibi Principes Imperii nec Status provinciales, nec Comitia provincialia agnoſcunt, uti in Palatinatu inferiori Elector Palatinus Heidelbergenſis.* Ex quibus patet, Status etiam Ducatus Würtembergenſis habere ſaltem votum conſultativum, per verba mit Einrathen. Etiamſi enim addatur und Zuthun: hæc tamen vox non infert, neceſſarium eſſe *conſenſum* Statuum, ſed *opem* ſaltem. Neque, ubi nihil aliud promittitur, quam in illa formula Würtenbergenſi, putarem neceſſarios eſſe conventus aut Comitia provincialia: Cum multi modi poſſint inveniri, ut Princeps etiam extra Comitia, quæ plerumque magnas impenſas requirunt, poſſit circa Leges ferendas conſilia Statuum & opem expetere.

§. LXIV.

Non mirandum adeo, quod & in alia quæſtione huc maxime pertinente, non multum ſolidæ doctrinæ inſit in ſententia MYLERI, de qua agit *d. c. 39. §. 11. Dubitatur autem, an ad validitatem hujusmodi Statuti* (i. e. legis provincialis) *Imperatoris quoque conſenſus & confirmatio requiritur? Quod utile non autem neceſſarium eſſe, Juriſconſultorum communis ſchola,* arg. c. 1. de Conſtit. in 6. L. 1. C. de emancip. (L. omnes populi 9. D. de Juſt. & Jur. *Cum Jus etiam conſuetudinarium, ex tacito populi conſenſu conflatum, Principis ſuperioris confirmatione non indigeat?* per L. de quibus 32. D. de Leg.) Heig. part. I. quæſt. 23. num. 31. Coler. de Proceſſ. Exec. part. 1. cap. 3. num. *An neceſſaria ſit confirmatio Imperatoris?*

num.6. Betſ. d. tr. cap. 2. fol. 37. Dn. Bocer. d. diſput. 3. th. 41. Reinking. 2. c. 2. n. 5. *Attamen Doctores tradunt, quod conſultius ſit, ut ſuperioris quoque adhibeatur confirmatio.* Vult. 4. Conſil. Marpurg. 54. n. 26. & ſeqq. Hic quædam rurſus miſcentur aliena, quædam aſſumuntur ut vera, quæ falſa ſunt, aut certe valde dubia.

§. LXV.

Judicium de doctrina Myleri.

An neceſſaria ſit Imperatoris confirmatio vel utilis, iterum non probandum eſt per Leges Romanas & communem Doctorum ſcholam. Quid enim Leges Romanæ ad Statum Germaniæ? Et communes errores, quos dari negabit nemo, unde niſi a communi Doctorum ſchola? Deinde circa neceſſitatem conſenſus Imperatorii potius diſtinguerem inter tempora antiqua & hodierna. Olim, antequam Status Imperii regalia omnia exercerent, & antequam formam ſuam plene nacta eſſet territorialis ſuperioritas, conſenſum Imperatoris fuiſſe adhibendum, forte non ſine ratione dicitur. Hodie vero non eſſe neceſſarium, certum eſt, quia Jure proprio hodie exercentur omnia regalia a Statibus Imperii, & vaſallagium, quod Imperatori & Imperio præſtant, non infert confirmationem Legum ab Imperatore petendam eſſe. *Confer. locum* DN. HERTII *ſupra* §. *20. deſcriptum.*

§. LXVI.

An ſaltem utilis ſit confirmatio Imperatoris.

Quod vero utilius eſſe dicitur, & conſultius, ſi Imperator confirmet Leges provinciales Statuum, quamvis ea res magis ad conſiliarios Principis pertineat, ego, quamdiu nulla ratio, ſed ſolum Doctorum ſchola affertur, non puto. Si poteſtas ferendi leges provinciales ad reſervata Imperatoris pertineret, conſentirem. Sed cum omnes ſtatuant, eam eſſe partem fere primam Superioritatis, nullum alium uſum video, quam ut Imperatores potentiores aliquando prætendere poſſint, neceſſariam eſſe confirmationem ſuam, & ea de re illis, qui hactenus eam adhibuerunt, litem movere, ac ad actus poſſeſſorios provocare. Quod igitur talis utilitas perſuaſa

fuerit

Digitized by Google

fuerit Statibus quibusdam, aliam cauſam non video, quam quod Conſiliarii quæſtionem hanc ex Jure Civili decidere, & Statum Germaniæ ex Statu Juſtinianeo metiri voluerint, & cum quædam argumenta Legum Juſtineanearum inveniſſent, ſuadentia confirmationem, quædam vero pro libertate Statuum Legislatoria, putaverint, non melius iſtas inanes Speculationes Juris Germanici in Speculo Romano conciliari poſſe, quam per diſtinctionem inter utilitatem & neceſſitatem. Hodie igitur, cum ſciamus, Jus Juſtinianeum non apte allegari in quæſtionibus Juris publici, ejusmodi etiam conſilia parum apta jure contemnuntur.

§. LXVII.

Sententia Dn. Schwederi expenditur.

Video equidem DN. SCHWEDERUM *P. ſpec. Sect. II. cap. 13. §. 2.* ſtatuere, quod confirmatio Imperatoria utilis ſit ad præcidendas controverſias & ad bene eſſe, eamque in rem allegare ex Legibus ipſis Imperii *Ord. Cam. P. I. tit. 13. §. 2. & tit. 57.* qui textus diſponunt de officio Aſſeſſorum Cameræ, quod teneantur judicare ſecundum receſſus & leges ac conſuetudines rationabiles. Quid vero exinde concludi poſſit, ut ad præcidendas controverſias utile ſit, Leges Statuum ab Imperatore confirmari, equidem non video. Niſi forte Dn. Schwederus eo reſpexit, quod jam ſupra ex Hugone & paſſim ex aliis excerpſimus, quod Camera non ſoleat ſecundum conſuetudines contra receſſus Imperii latas pronunciare, adeoque Dn. Schwederus putaverit, ad hanc controverſiam præcidendam utile eſſe, ut Leges confirmentur ab Imperatore.

§. LXVIII.

An Aſſeſſores Cameræ obſtricti ſint pronunciare ſecundum Leges Statu-

Hæc vero utilitas ut rite expendatur, videndum: An Aſſeſſores Cameræ de Jure non pronuncient ſecundum Leges Statuum Receſſibus adverſantes? An confirmatio Legum harum ab Imperatore impetrata impedire poſſit hanc pronunciationem Aſſeſſorum? Annon remedia alia majoris ponderis adſint, ut evitari poſſit hæc pronunciatio Aſſeſ-

ſorum

um contra Jus commune. ſorum Cameræ? Initio quod primam quæſtionem attinet, eam ſimpliciter negamus. Sunt enim Aſſeſſores Cameræ abſolute obligati, ut judicent ſecundum Leges & conſuetudines honeſtas Statuum. Hactenus vero probavimus ſatis: conſuetudines, & leges Statuum honeſtas manere, etiamſi repugnent juribus communibus, & inter ea etiam receſſibus. Quod vero contraria ſententia communis ſit, rurſus in cauſa eſt, quod Doctores Juris publici hactenus auctoritates Gailii, Mynſingeri & aliorum ſcriptorum Cameralium tanquam oracula magis venerati fuerint, quam doctrinam ſanam ex genuinis Juris publici fontibus deductam, & ita hanc ſententiam inſtillaverint Auditoribus, poſtea in numerum Aſſeſſorum Cameræ aſſumtis.

§. LXIX.

An ſaltem eos obliget confirmatio Imperatoris? Quodſi vero Aſſeſſores Cameræ, ſive jure ſive de facto, non ſoleant pronunciare ſecundum Statuta provinciarum receſſibus Imperii repugnantia, non video, quomodo tunc colliſio Statuum cum Aſſeſſoribus Cameræ evitari poſſit, per confirmationem Imperatoris. Ut enim taceam, quod non ſperanda ſit his caſibus confirmatio Imperaroris, illud ſaltem conſidera. Si Leges Statuum Receſſibus adverſantes ſunt invalidæ & inhoneſtæ, neque eas confirmare poterit Imperator, aut, ſi vel maxime id fecerit, hæc confirmatio tum non poteſt de Jure adigere aſſeſſores Cameræ, ut eas tum pro Legibus juſtis habeant. Quodſi vero abſque ratione Aſſeſſores Cameræ non pronunciarunt hactenus ſecundum Leges Statuum contrarias Receſſibus, non apparet, quomodo confirmatio Imperatoria eos ad juſtæ rationis uſurpationem adigere poſſit.

§. LXX.

Quibus remediis juſtis Status jura ſua tueri poſſint adverſus Cameram? Denique ſunt & tutiora remedia, quibus Status Imperii Superioritatem ſuam adverſus Aſſeſſores Cameræ tueri poſſint, ut non opus habeant confirmatione Imperatoria. Ut ea magis ſenſibiliter palpentur, repetamus caſum toties memoratum. Non admittit Jus Saxonicum fratrum liberos cum

Digitized by Google

cum fratribus defuncti. Fac jam fratrum liberos convenire defuncti fratres hereditatis petitione: Pronunciat judex eos non ſuccedere, & reum ab actione abſolvit. Appellat Actor ad Cameram: (Finge etiam hic, Duces Saxoniæ non habere privilegium de non appellando:) Judex a quo dat Apoſtolos refutatorios: nam haud dubie non dabit reverentiales. Aſſeſſores Cameræ jam corrigunt ſententiam a qua & pronunciant, reum admittere debere actores ad hereditatis diviſionem. Quid tum? Reus tamen non admittere vult. Quid nunc faciet actor? Impetrabit a Camera Executoriales. Ad quem, an ad Ducem Circuli? Non credo. An an judicem, a quo? ita decet. Hic vero ſtultus eſſet & Juris ſibi competentis ignariſſimus, ſi intempeſtiva obedientia errorem Aſſeſſorum Cameræ confirmaret. Ergo videant Doctores, an non larvas timeant, ſi cum Mynſingero timent, quod Aſſeſſores Cameræ non ſint pronunciaturi ſecundum ſtatuta Receſſibus contraria. Adde, quod in tali caſu Status quicunque Imperii, etiamſi nullo plane privilegio gaudeat de non appellando, non obligatus ſit deferre appellationi ad Cameram, quia appellatio eſt ipſo jure nulla. Appellamus, quod putemus nos læſos eſſe a judice, & quod non bene judicatum ſit. Lædimur, & non bene judicatum eſſe cenſetur, ſi vel factum non ſit probatum, vel jus non bene applicatum ad factum. At vero hic de facto conſtat, actores nempe eſſe fratrum filios & patruum defunctum; reos etiam eſſe defuncti fratres: Conſtat etiam de Jure in Saxonia, quod fratrum liberi non admittantur. Nullum eſt dubium, hoc jus eſſe convenienter applicatum ad caſum. Utrum vero ipſum jus recte ſe habeat, de ea re non appellare licet ad Cameram, quia Camera non habet poteſtatem cognoſcendi de ſuperioritate Statuum Imperii. Igitur tantum abeſt, ut Status Imperii hoc caſu jure adſtringi poſſint ad appellationem admittendam, ut potius partem appellantem jure ſuo ob frivolam hanc appellationem punire poſſint.

Digitized by Google

§. LXXI.

IV. Leges Statuum contra Jus ſubſidiarium.

Reſtat, ut IV. videamus de jure ſubſidiario. Hic vero unanimes fere ſunt Doctores, præcipue hodierni, quod Status Imperii Legibus ſuis eidem derogare poſſint. *Cum enim*, (inquit *DN. HUGO de Statu regionum Germaniæ cap. 3. §. 20.*) *Jure Romano multa comprebendantur, antiqui illius Imperii ſtatui & moribus accommodata, quæ noſtris hodie rationibus non conveniunt: nec tamen, quæ ejus generis ſint, generali aliqua Imperii Lege definitum ſit, vel etiam facile definiri poſſit, conſequens eſt, ut ſingulis Ordinibus, quæ ſuis ditionibus minus commoda judicant, corrigere liceat. Juris Canonici, quatenus apud nos in cauſis civilibus ſervatur, eadem ratio eſt. Atque de hoc jure communi præcipue intelligendum, quod communiter aſſerunt, per contraria ſtatuta ei derogari poſſe,*

§. LXXII.

Exploditur ſententia Arthuri Duckii.

Ubi tamen nulla ſententia eſt tam firma & evidens, quæ non habeat ſuos diſſentientes, ita & in præſenti inventi ſunt, qui putarent, piaculum eſſe, ſi Statibus hæc poteſtas indulgeretur, ne videlicet Profeſſiones Juris Juſtinianei detrimentum capiant. Exhibet tales ſententias inanes *ARTHURUS DUCK* in libello illo, in quo omnes fere ſententiæ erroneæ Doctorum de Jure Juſtinianeo collectæ ſunt, ſc. *de Autoritate Juris Civilis Romanorum in dominiis Principum Chriſtianorum, Lib. 2. cap. 2. §. 18. Tanta eſt Juris Civilis Romanorum in Germania Autoritas, ut licet in omnibus aliis Regnis Dominiisque conceſſa fuerit Jure Romano poteſtas condendi ſtatuta de Jure Civili derogantia, ut omnes Romani juris interpretes aſſerunt; Principes tamen & Civitates Germaniæ non poſſint ſtatuere contra prohibitionem Juris Cæſarei, eaque de cauſa non poſſint ſtatuere, ut bona Naufragorum cadant in commiſſum, & a Dominis Territoriorum Mari Fluminive vicinis capiantur, cum omnes ejusmodi conſuetudines & Statuta Friderici Imp. Conſtitutione declarentur nulla, & decreto Lateranenſis Concilii capientes porro excommunicati declarentur. Autoritatique Juris Civilis ejusdemque unioni cum Jure Canonico in Germania tribuendum eſt, quod, poſt ejuratam Romani Pontificis Poteſtatem,*

Prin-

Digitized by Google

Principes aliqui Germanici adhuc Juris Canonici uſum in ditionibus ſuis conſervent. Autores, quos hic ubique allegat, videri poſſunt apud ipſum. Nos nihil addimus. Talia enim recenſendo refutatur. Id tamen exinde notamus, ad declaranda ea, quæ ſupra diximus: Conſuetudinem de bonis naufragorum ideo pro irrationali haberi a JCtis antiquis Germaniæ, non, quod turpitudinem moralem contineat, ſed quod contradicat Juri Cæſareo & Canonico. Unde eo minus taxandi ſunt Status, qui ad defendendam libertatem territoriorum Germaniæ eam retinuerunt.

§. LXXIII.

Porro dixerat *CONRINGIUS de Orig. Jur. Germ. cap. 33. p.291.* Status Imperii poſſe abrogare Jus Civile vel Canonicum in territoriis ſuis. Video hanc ſententiam ejus mitigari ab aliis Autoribus magnæ autoritatis; intelligendam videlicet eam eſſe de derogatione, non de abrogatione, quæ non ſit licita. Quemadmodum autem arbitramur, nullam aliam hic ſupponi differentiam inter abrogationem & derogationem, quam, quod illa denotet ſublationem totalem Juris Romani, hæc particularem; ita, quicquid demum ſenſerit ipſe Conringius, hac de quæſtione ſic ſtatuimus. Non ſunt miſcendæ quæſtiones: An liceat? An ſperandum vel timendum? An conſultum ſit? Licere Statibus Imperii abrogare in territoriis ſuis totum Jus Civile & Canonicum, nulli dubitamus, quia nullam videmus rationem dubitandi, cui non ex hactenus dictis poſſit ſatisfieri. Cæterum facile concedimus, ea adhuc eſſe tempora, ut nondum ſperandum ſit ejusmodi ſtatutum iis, qui dolent de corrupta per Jus Civile & Canonicum prudentia Juris Germanici, aut timendum illis, qui glebæ utriusque illius juris ſunt adſcripti. Concedimus etiam, nondum conſultum eſſe, ut talis Lex detur, quia omnis mutatio ſubitanea Statui nocet. Continuetur ſaltem ſtudium Juris Germanici, ut hactenus per aliquod tempus illud ex obſcuro in lucem retractum eſt. Excitet DEUS plures *COCCEJOS,*

Status Imperii non poſſe ſaltem derogare Juri ſubſidiario, ſed etiam illud abrogare.

SCHILTEROS, *HERTIOS*, & res ipſa ſequetur. Uti enim Jus Romanum cum in Academias Germaniæ introductum eſt, ſtudium Juris Germanici quidem obſcuravit & in fora Germaniæ furtim ſe inſinuavit, ſed tamen Jus Germanicum inde nondum fugare potuit; ita ſperandum, quod repetita a Doctoribus Academiarum illuminatio Juris Germanici talem pacem vel amneſtiam ſit inductura, ut non opus ſit illa abrogatione Juris Romani, ſed utriusque & Romani & Germanici futurus ſit juſtus uſus.

§. LXXIV.

Hactenus dicta illuſtrantur loco ex Ordinat. Polit. Magdeb.

Declarationem accipiunt hactenus dicta *ex præfatione Ordinat. Polit. Magdeburg. fere circa finem.* Worbey wir denn aus beſondern Uns hierzu bewegenden Urſachen, zugleich ſetzen und ordnen, daß die Sachſen-Rechte in Unſerm Hertzogthum weiter nicht, als ſo ferne ſie Unſerer oberwehnten Magdeburgiſchen Kirchen-Proceß-Policey und andern Ordnungen conform ſeyn, obſerviret, im übrigen aber die gemeine beſchriebene Käyſerliche Rechte, ſo weit wir denenſelben aus Chur-Fürſtlicher Hoheit und Macht nicht *derogi*ret haben / ſo wohl bey der Regierung, als in Schöppenſtuhl und allen andern Gerichten angeregten Hertzogthums und der Graffſchafft Manßfeld Magdeburgiſcher Hoheit, *in procedendo, ſententionando, & judicando* beobachtet werden ſollen. Similis clauſula deprehenditur in jure Electorali Saxonico in Torgauiſchen Ausſchreiben, tit. welcher Geſtalt die Agnaten und Mitbelehnten, circa finem: verbis: Nach dieſer Unſer Ordnung wollen wir, daß man in den Hoff-Gerichten, Juriſten-Facultäten, und allen Schöppen-Stühlen, nicht allein in künfftigen, ſondern auch in den Fällen, ſo ſich zuvorn zugetragen, und noch nicht gäntzlich erörtert,

Et alio ex Jure Saxonia Electoralis.

örtert, richten, und derſelben nach erkennen, ſprechen und urtheilen ſoll. Wollen auch alles dasjenige/ ſo ſolcher Ordnung zuwider angeſehen und bedeutet werden mag, aus Chur Fürſtlicher Macht und Hoheit in unſern Landen hiemit corrigiret/ auffgehaben und abgethan haben.

§. LXXV.

Illuſtrant etiam rem exempla, etſi non probent. Suppeditat aliquod *ILLUSTRIS DN. DE RHETZ II. 21. §. 4. 5.* *Porro, jure Fiſci vindicantur bona eorum, qui criminis læſæ Majeſtatis damnati ſunt* L. 5. C. ad L. Jul. Majeſt. *Et biſce jungere ſolent, qui proprie ſic dicti hæretici damnati ſunt. Ex aliis Criminibus hodie, & ideo ultimo ſupplicio damnatorum bona, fiſco non vindicantur per* Nov. 134. c. fin. & art. 218. Conſt. Crim. Caroli V. *Ubi vero ex aliis criminibus non capitalibus olim bona fiſco vindicata ſunt, illi juri* p. d. art. 218. Conſt. Crim. Caroli V. *non derogatur, propter verba illius art.* und andern Fällen. *Sic jure Imperii tenet, Status vero Imperii in ſuis territoriis hodie etiam ex pluribus Criminibus, ultimo ſupplicio vindicandis, bona ſua fiſco applicare poſſunt, nam eatenus juri communi derogare poſſunt.*

Ita e. g. Status Imperii ex pluribus Criminibus, quam jure Civili licebat damnatorum bona fiſco vindicare poſſunt.

§. LXXVI.

Aliud illuſtre exemplum ſuppeditat Ordinatio Politica Magdeburgenſis *cap. 22. § 12.* Wann gleich ein Verkäuffer behaupten könte, daß das verkauffte Gut, zur Zeit des gerichtlich auffgerichteten und confirmirten Kauff-Contracts noch einſten ſo hoch, als es ihm bezahlet worden, ausgebracht werden können, ſoll ihme doch das *Beneficium L. 2. C. de reſcind. Vendit.* nicht zu ſtatten kommen, ob er gleich demſelben ausdrücklich nicht *renunci*ret hätte, desgleichen ſoll auch ſolch *beneficium* nicht ſtatt finden, wenn das Gut auf vorgehende *taxation ad haſtam* gebracht, und *ſub haſta* erſtanden wäre.

Ita Ordinat. Magdeb. jure abrogavit remedium l. 2. C. de reſcind. vend.

Digitized by Google

Vides hic non ſolum abrogari *L. 2. C. de reſcindenda venditione*, ſed & non timeri clamorem Doctorum de iniquitate hujus Statuti, cum communiſſima ſit opinio, d. l. 2. Cod. eſſe conclusionem ſummæ æquitatis naturalis. Igitur amaſii Juris Romani non poterunt non aſſerere, ſtatutum tollens exceptionem læſionis ultra dimidium eſſe iniquum & irrationale, adeoque non obligare. Et profecto quæſtio hæc ita comparata eſt, ut mereatur peculiarem diſquiſitionem. Nos cum ad finem properemus, plura non addimus, quam quod in conflictu ſimus defenſuri, Statutum hoc Ducatus Magdeburgici eſſe & æquiſſimum & utiliſſimum, contra *Legem 2. C. de reſcindend. vendit.* fulgere ſaltem radiis æquitatis & utilitatis imaginariæ.

§. LXXVII.

Leges Statuum contra Jus Commune non habent peculiares interpremndi regulas.

Præterea cum & quæſtio de interpretatione Statutorum ſeparatam diſpectionem mereatur, nolumus prolixi eſſe in refutandis falſis ſententiis circa interpretationes Legum provincialium etiam contra jus commune latarum, ſed ſufficiat, ſaltem earum aliquam farraginem hic appoſuiſſe: Eam vero ſuppeditat *MYLERUS d.c. 39. §. Deinde obſervandum, quod Statuta ſint ſtricti Juris & ſtrictiſſime ad unguem, ſicuti jacent & loquuntur, ſint accipienda*, arg. L. ſi quando 35. C. de inoffic. teſtament. Honded. Conſult. 32. n. 44. Ign. de Villar. Maldon. reſp. 7. quæſt. 4. num 5. *(Unde facete ſcribit Franciſcus Vivius: Statuta dicuntur ſterilia, ſicut mulæ quæ non pariunt.* Vivius deciſ. Neapol. 506. n. 16.) *Nec non proprie, ac juxta corticem Verborum intelligenda.* L. 3. §. hæc verba. D. de negot. geſt. L. ſi vero 64. §. 9. ſolut. matr. Merend. Lib. 2. controv. cap. 10. & 13. Novarr. Deciſ. 8. (Dn. Knipſchilt. dict. cap. 10. n. 88.) *Ac per Statutum cenſetur correctum jus commune, niſi id expreſſe cautum reperiatur.* arg. c. cauſam. de Reſcript. L. præcipimus. §. f. C. de Appellat. Gail. Lib. 2. obſerv. 35. n. 3. Grivel. deciſ. 86. num. 25. Novarr. deciſ. 232. num. 7. Ejusdem furfuris eſt totus *paragraphus 17.* apud *ARTHUR. DUCKIUM citato loco. Iſta vero ſtatuta Saxonica, Lubecenſia, Culmenſia & alia quæcunque Germanica, ſecundum Jus*

Digitized by Google

Jus Civile Romanorum intelliguntur, & ab eo interpretationem recipiunt. In omnibus enim Imperii Germanici Provinciis & Territoriis generaliter traditum eſt a Jureconſultis Germanicis, Statuta non poſſe aliam interpretationem recipere, quam a Jure Communi Romanorum, Statuta cum Juri Romano derogant, eſſe ſtrictiſſime interpretanda, & non extendi poſſe ad Caſus in iisdem non expreſſos, iisdem evitandam eſſe omnem Juris Communis Correctionem, eademque per Jus Commune ſolum interpretanda & intelligenda eſſe. Inficetæ ſunt omnino facetiæ Franciſci Vivii, ut quæ apud cordatos non riſum ſed lacrymas excitant, & de omnibus hiſce ſententiis unum judicium ferendum: Sunt namque Pergula pictorum, veri nihil omnia falſa. Univerſales ſunt bonæ interpretationis regulæ, quibus utendum ſive Leges, ſive pacta, ſive teſtamenta, ſive Statuta, ſive ſecundum ſive contra jus commune, ſive favorabilia contineant ſive odioſa, ſive præmia & beneficia, ſive pœnas inferant, ſint exponenda. Et omnia hæc æque admittunt interpretationem extenſivam ac reſtrictivam, non ex verbis ſolum, ſed & ex aliis conjecturis derivatam.

COROLLARIA.

I.

Carolum Magnum, antequam Imperatoris titulum acceptaret, dominium in Exarchatum & urbem Romam jure belli adverſus Deſiderium Regem Longobardorum geſti, acquiſiviſſe, ideo non eſt veriſimile, quia Carolus inter alias cauſas bellum iſtud adjuvandi Pontificis cauſa ſuſcepit, & quia Pipinus pater Caroli jamdudum Eccleſiæ Romanæ donaverat Exarchatum.

II.

Reverentia, quam clientes Patronis debent, differt quidem multum a ſubjectione: ſed læſio tamen reverentiæ plurimas occaſiones ſuppeditare poteſt Patrono, ut ex clientibus faciat veros ſubdi-

Digitized by Google

ſubditos, uti vel ex Hiſtoria Romana patet. Mirandum igitur eſt, qui factum ſit, ut Imperatores Romani, qui advocati fuerunt & Protectores Paparum, a Clientibus ſuis, Domini videlicet Dominantium a ſervis ſervorum tantum non opprimerentur & ſubjicerentur?

III.

Sed deſine mirari. Eſt contradictio Politica, ut Patronus reverentiam exhibeat Clienti. Major contradictio eſt, ut eum adoret. Admiſſo ſemel hoc inconveniente, reliqua ſua ſponte ſecuta ſunt. Ita enim revera ex Cliente Patronus, ex Patrono Cliens factus eſt. Quid ergo mirum, ſi fata Clientum ſecuta ſint Patronum, arcana Patronorum uſurpata fuerint a Cliente?

IV.

Nobiles Imperii, quamvis præſtent miniſteria regno, non tamen pertinent ad claſſem miniſterialium, qui olim vocati ſunt Edle-Knechte. *Hi enim fuere miniſteriales Regis vel Ducum. Et horum miniſteria omnia fuere aulica, etiamſi umbram quandam militiæ (in pompis vel ſolennitatibus, vel in quotidiano etiam uſu, tempore pacis) quædam ex illis habuerint, aut in bello regem vel ducem ſecuti fuerint.*

V.

*Semper*freyen *in Jure Germanico recte dicuntur quaſi* Sendbar-freyen. *Quia tamen hæc vox prædicatur de principibus, non putarem, eam denotare* Zentbarfreyen, *ſed potius denotare ſupremum ingenuitatis Germanicæ gradum, ex quo Miſſi Regii deſumebantur.* Sendbar *igitur denotat, qui miſſus fieri poteſt.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

Digitized by Google